


AB  
4  
—  
h. 15



*pp*

*H. o. 282.*





HENRICI ALERS  
ORATIONES

D V Æ :

UNA de

VIRO NOBILI,

ALTERA de

NOTIS INCORRUPTÆ

REIPUBLICÆ

*Habita in Academiâ Ultrajectinâ.*

Editio secunda,

CUI ACCESSIT

ORATIO

Ad enodandam quæstionem,

An Ratio Status non ferat Magi-  
stratum præfractò rectum?


*Dicta Basilee.*

Subjuncti quoque sunt ejusdem

DE

RESCRIPTO GRATIÆ

APHORISMI.



B R E M Æ,

Impensis JUSTI } KÖHLERI,  
Typis JACOBI }

ANNO MDCXLVII.

HENRICH ALBRECHT  
DE GRAYDONIS

VILDOVITZ

MOTIS INCORRUPTE

QUI ACCESIT

O K A T I

Die Danks


ESSE

E R E M E

IN DER FÜRSTLICHEN  
KÖNIGLICHEN  
BIBLIOTHEK  
ZU  
KÖNIGSBERG  
IN  
PREUSSEN

ANNO 1800





V I R O

*Nobilissimo & Amplissimo*

D. JOHANNI HERDEN

lib. Imper. Reip. Bremens. Sena-  
tori meritissimo, & non ita pri-  
dem ex legatione ad Potentiss.  
Belgii Ordines laudabiliter  
peracta reduci omnia felicitatis  
incrementa precatur

HENR. ALERS.

**N**on miraberis, *Vir Specta-  
bilis & Consultissime*, quòd,  
dum curas meas & cogitationes  
ad graviora deposcit præsens vitæ  
facies, juvenilia hæc iterum pu-  
blico largior. Scilicet exscribenda  
illa secundis typis censuerunt non  
pauci, quibus cultum debeo & af-  
fectum. Quod recens accessit,  
simili amicorum suasu & iudicio  
prælum toleravit. In spem com-  
munis boni id, qualecunque est

A 2

colla

conferrī posse, creditur. Si malè;  
nec errantibus irascentur, nec pec-  
cantem me omni excufationis  
prætextu destituent humanioris  
literaturæ proceres, inter quos te  
imprimis intueor, sub cuius au-  
spiciis vel tenuissimi conatus suc-  
cessum non despero. Proindé-  
que, ut illustre virtutis, quam in  
oculis patriæ exerces, per diu con-  
stare exemplum devotè cupio, sic  
quodvis postmodum officiosissimæ  
voluntatis debitum Amplit. Tuæ  
non illubenter exolvam. Bremæ,  
pridie Nonas Septembres Anni  
CLOIÖC XLVII.

Magni-





*Magnificis, Nobiliss. Ampliss. Consult.  
Spectatiss. Prudentiss. Dnis.*

D. GISBERTO vanderHOOLCK  
D. THEODORO VELTHUISIO  
CONSULIBUS:

*Ceterisq;*  
DD. SENATORIBUS Inclutæ  
Reip. Ultrajectinæ:

*Nec non*  
D. JOHANNI NYPORTIO JC.  
Eisdem à Secretis,

DOMINIS SUIS FAVORIBUS

HENR. ALERS  
S. D.

Viri dignitate conspicui, varióq;  
rerum usu præclari:

**E**xhibeo Vobis, quem luce donan-  
dum haut unus postulavit, inculti  
fœtum ingenii. Vicit pudorem meum  
Authoritas Vestra, quam veneror, ani-  
mumq; addidit, & veniæ apud Eruditos  
fiduciam, uti securè plurimum hortatui

concederem, nihil moratus periculum ini-  
quioris censura. Nam voluntate munior  
Superiorum, & favore illustri, qui sur-  
gentis Academiae Vestrae cives animat.  
Dignum in super me judicabitis, qui Ma-  
gnifico Nomini Vestro obsequia debeam,  
eorumque solidiora paulatim argumenta  
depromam. Vos autem omnes, Christo  
Sospitatore, per Virtutem Doctos, per  
Doctrinam bonos diu vivere, Reique Publ.  
& Literariae feliciter moderari, voveo:  
imò, cum vivere desistis, tamen vivere,  
& Prudentiae Vestrae fructus Civitatem  
persentiscere. Trajecti ad Rhenum  
IV. Id. Maji Anno MDCCXXXVIII.

HENRI-

7

HENRICI ALERS  
O R A T I O  
de  
VIRO NOBILI.  
Habita ipsis Calendis Aprilis  
Ao. MDCCXXXVII.

*Præpotent: Dom: Ordines, Illust: ac Ge-  
neros: Comes, Ampliss: Spectat: Con-  
sules, Nobiliss: Consultiss: Curia Pro-  
vinc: Senatores, Graviss: Urbis hujus  
Scabini, Magnifice Rector, Celeberr:  
Professores, Reverendi Ecclesiastæ,  
Doctores, Licentiati, Magistri, &  
quotquot ad hanc Panegyrim conflu-  
xistis, Nobiles, Praclari Cives atque  
Advenæ: Præstantiss: Studiosi.*



Uantum salutari re-  
rum pub. otio, quan-  
tum privatæ salutis  
emolumento dece-  
dat, si illi, quos ea-  
dem legum institu-  
tio, idémque juris nexus devinxit,

nequiter discordent, præsens se-  
culi facies edocet; dum fatalem  
pereundi necessitatem plorant ho-  
mines, oppida, regna; quòdque  
evitari cautò posset, in id festinant  
malum cæco pacis contemptu. Præ-  
cipuam tamen communis miseriæ  
materiam fovent, quæ inter nobi-  
les & plebejos nasci solent, con-  
tentiones, quibus, si mundi fabu-  
lam altiùs meditemur, plurima-  
rum civitatum excidia haud im-  
meritò imputabimus. Tantas enim  
ejusmodi odia in animis subinde fi-  
gunt radices, ut propriæ libertatis  
incrementa hostili injuriæ pro-  
dant miseri, & certissimum impie-  
tatis suæ dedecus luant. Quippe  
inanis tituli superbia aciem intel-  
lectus hebetat, ne in rationis gy-  
rum flecti valeat. Infelix multi-  
tudinis furor clariora sufferre ne-  
quit nomina, & æqualis patere sibi  
fortunæ vestibulum, stultè credit;  
dum eniti passim fastu insolentio-  
ri al-

ri allaborant, quos avita insignia  
 tueri debent. Hinc vanas spes or-  
 dinis confusio præcipitat, postea-  
 quam modestiæ exemplo inclare-  
 scere primores nesciunt, & super-  
 stitiosam generis curam antepo-  
 nunt serio virtutum cultui, qui so-  
 lus illustriores familias continuat,  
 evehit, prosperat. Degener popu-  
 lus admirari tandem & suspicere  
 incipit, quos celebris morum in-  
 tegrilas commendat; si desit hæc,  
 vilescit paulatim gloriosa pauper-  
 tas. Nemo ibit inficias, quin cau-  
 tiùs mercarentur mortales, si suæ  
 viverent fortis conscii, nec tam levi-  
 ter vulgi sese contētui exponerent.  
 Sic est, Auditores, ut puerile deside-  
 rium astragalorum lusus; sic viro-  
 rum sæpius vota inanes fallunt ti-  
 tuli. Ob immanem sui fiduciam  
 erubescunt alieno ductu sapere;

*Et quicquid cupiunt, veluti virtute  
 peractum,*

*Confidunt magna laudi fore.*

Adeò humanæ libidini indulfit infensissimus Alastor, ut ad lumen sanioris iudicii cœcutiant complures, quibus privilegii honor meliora injunxerat. Intereffet boni publ. ut nullibi non prævaleret honestatis gloria, & contemnerentur arrogantes spiritus, quos immatura pernicies domat, quemadmodum rectè didicerat ille, qui in oraculi modum edidit, ut se quisq; cognosceret. Quocirca non operam me lusurum existimo, si in celebri hac Urbe, hoc dignissimo nobilium familiarum receptaculo, in hoc auditorio elegantissimâ hominum coronâ illustri VIRUM NOBILEM resumto, quamvis rudiori, penicillo depingam, quis ille sit, unde ortum ducat, quænam verior ipsius nota; ut his intellectis constare firmiùs possit, quid illustret, quidve offuscet germanæ nobilitatis splendorem. Date veniam, Hum. Audit. ut aures vestras, quas  
mul-

DE VIRO NOBILI II

multoties de publico hoc suggestu  
limatior sermo arrexit, securiùs  
ingenii mei infantia feriat. Pro-  
palam eloquor, humanioris litera-  
turæ vix salutare incepto limina;  
vestri verò & favoris & doctrinæ  
supplemento succedet conatus,  
quem reverenda Superiorum au-  
thoritas extorquet. Suffecerit mi-  
hi in hoc deperdito rerum statu ve-  
ri NOBILIS imaginem memoriæ  
vestræ reddituro, ostendisse, quòd  
innumera discordis vitæ pericula  
effugiant, qui ad recti decus fata-  
gunt eluctari. Est verò, si bene  
calculum ponemus, VIR NOBILIS,  
qui antiquam generis & virtutis  
gloriam novis in rempubl. meritis  
tuetur: longè secus ac ille, qui cum  
pessimo censore vulgo nascendi  
sortem decepturæ opinionis diu-  
turnitate metitur. Tantum abest,  
ut hic præclari nominis innocen-  
tiâ emineat, ut potiùs infamis tur-  
bæ necessitudinem participet, in-

jurius ipsi naturæ, quæ vulgaris judicii fallaciam evincit, & ingenuæ nobilitatis censum terminat. Dubio quidem omni caret, proclivem in pejora indolem nostram esse; & si primos ortus revolvamus, generisque præstantiam propiori indagine ponderemus, vix tanti boni, quod hominem in præclarum reipubl. opus disponat, speciem dabit. Miseram agnoscimus rerum omnium beatitudinem, quæ nec apud æquanimos perpetuò durat, nec anxios tota delectat. Simul ac in hanc mundi scenam hospites venimus, eadem nos legum severitas cogit, unde nemini obtingit libertas recusandi mala, quæ tenellam ætatem excipiunt. Nativitatis fructus dolor est vicinus & timor, qui recentia tangit cunabula, donec ipsos nos sepiissime velox hora dissolvat. Non tam vecors & infanus quis est, ut sanguinis privilegia exemisse nonnullos adversitatibus  
hisce



hisce credat. Sicut fumus summa  
petit; sic non rarò gravioris mise-  
riæ pericula subeunt, qui natalium  
dignitate enitescunt:

*Sæpius ventis agitatur ingens*

*Pinus, & celsæ graviore casu*

*Decidunt turres, feriuntq; summos*

*Fulmina montes.*

Adde quòd nec in corporum ve-  
nustate quicquam inesse comperi-  
mus, quamobrem vir illustris ple-  
bejo antecedit. Num enim ille vi-  
ribus valentior, celeritate pedum  
velocior, valetudinis firmitate ro-  
bustior? Imò quòd largiùs delicati  
voluptatem stomachi explet, eò  
faciliùs corrupto vitali spiritu  
morbum proximum attrahit. Absit  
fortunæ, aut ulli formæ elegantio-  
ris gratiæ tantum tribuamus; ani-  
mi severiùs emendati bonum est,  
quod hominum inter homines dif-  
crimen, quod justis ordinis regulam  
ostendit. Planè non existimo, adeò  
quenquam existere degenerem,

quin vellet, adeò infirmum, quin  
posset sese liberare ab ea conditio-  
ne, cujus eum sanctè pœniteret,  
insupérq; fortunam plebejæ mul-  
titudinis vitæ quadam eminentiâ  
superaret. Nam eousq; interclusa  
omnia non sunt, ut actiones hone-  
stæ non semper inveniant locum.  
Latiior patet campus virtutis, quam  
turpiter sæpenumerò deserunt no-  
biles, excolunt strenuè ignoti, &  
è vulgo nati. Certè si penitus rei  
summam expendamus, fatebimur,  
irritam esse nobilitatis admiratio-  
nem, quæ à debili persuasionem vim  
mutuatur. Residet in erectiori  
indole, quod vulgari censu majus  
est; cujusque efficacior (quis enim  
negabit?) in uno quàm in altero  
bonitas elucescit. Mundi fabricam  
intuere, occurrent dispares & dis-  
similes rerum formæ, quæ vi &  
potentiâ sibi invicem præstant.  
Ipsum cœlum nihil continebit,  
quod non aliquâ venustatis laude  
emi-

emineat, sic sidera sideribus splendorem & dignitatem cedunt. Ad inferiora descende, in plantis & quovis animantium genere elucens quendam nobilitatis effigiem deprehendes;

*Est in juvenis, est in equis patrum*

*Virtus: nec imbellem feroces*

*Progenerant aquila columbam.*

Videlicet, ut studio, moribus & consuetudini; sic naturæ, generi & ingenio cognata virtus est. Quare ex edicto Ædilium curulium tenebatur venditor servorum & animalium originem & nationem exprimere, quasi non parum conferret profapia nobilitas, teste elegantissimo JC. Vlpiano. Cùm autem res mutas, & belluas rationis expertes excellentiâ quâdam donaverit naturæ favor, quidni animantium princeps homo obtinisset, quod huic ipsi deberet? Sollicitè discernimus, è quali arbore defringatur furculus, è quali genere susceptus canis,

canis, generatus equus sit; & quali propaginis honore præstet homo, non adverteremus? Convincit nos rei veritas, nullam fuisse nationem, quæ non suis moribus innotuerit, qui deinceps virtute feminis in feram posteritarem transiere. Scythæ, Assyrii, Medi, Persæ, Græci, Trojani, Parthi, Palæstini, & similes hereditariam aut virtutum laudem, aut vitiorum infamiam ad postero traduxerunt. Nostra ætas didicit, Gallis ut incautam in acie iracundiam, sic studiosam in vita communi lenitatem, Germanis intrepidæ mortis audaciam, Hispanis elatæ indolis constantiam, Italis sagacis ingenii acumen, ceu quoddam naturæ proprium, deferri. Atque hoc peculiaris cujusque familiæ respectus longè clariùs aperiet. Quicumque enim nobilioris profapiæ lucem ferunt, plerunque majorum suorum laudes necessariâ ambitione tuentur, & he-

heroici ardoris constantiâ, alióque virtutum insigni præstant, quod deinceps posteris in hereditatis partem cedit, & calcar addit, ut defunctorum vestigia secuti, in vires summis rebus maturas exurgant. Nimirum feliciores agros non nisi ex frugum expectatione æstimamus; sic gentem illustrissimam licet vilipendimus, quæ uberrimè fructibus rationis segetem necat; amplectimur & admiramur, quæ rectius ingenium, & artibus bonis aptius publico emolumento prodit. Hoc solum est, quod nationem natione, familiam familiâ, hominem homine ceu jure quodam nature debito digniorem pronunciat. Quinimo cum ipso conditi orbis initio, quando nec civilis nec naturalis præscripti necessitas vagabundam multitudinem detinebat, hoc discrimen valere cœpit. Quibus enim fortioris prudentiæ dotem concesserat potens natu-

natura, illi in virilis animi robur  
evadentes confestim excellabant,  
morésq; hominum agrestes & in-  
compositæ vitæ rationem ad sanio-  
ris exemplar ordinis exigebant:  
quod ipsum fictis fabulis memoriæ  
nostræ tradidit antiqua erudito-  
rum curia, dum sylvis ferisq; &  
lapidibus, quos Orphei & Am-  
phionis dulcisoni vicerant cantus,  
adumbravit stuporem & morum  
inhumanitatem excellentioris in-  
genii beneficio emendatam. Inde  
igitur discebant homines, quousq;  
generosior sanguis humilis plebe-  
culæ æstimationem excederet, &  
tam seria virtutis admiratio disso-  
lutos animos capiebat, ut libentis-  
sime præclarioris notæ viris ob-  
temperarent, illisq; vivis condi-  
gna honorum præmia, mortuis di-  
vinos cultus decernerent. Extra  
omnem dubitationis aleam pone-  
bant, paterni decoris memoriam  
posterorum studia acuere, morum-  
que

que pietatem esse claræ gentis indicem, quod sapienter asserit non minimus Græcorum Poëtarum Euripedes; cuius sic Latinè sonant verba:

*Egregia dignitatis indoles nota*

*Insignis est nobis generis amplissimi.*

Hac autem non superstitiosâ solum opinione, sed verâ ingeniorum admiratione victus primævi orbis populus verisimile putavit, quem eminentior virtus supra humani fastigii cultus evexerat, hunc divino susceptum esse semine, hunc terrarum imperio ac salutis publicæ natum. Sic Thetide Achillem, Aurorâ Memnonem, Neptuno Theseum, Jove Sarpedona, Marte Romulum genitum sapiens Antiquitas celebrat. Quod fabularis historiæ testimonium evincit, magnorum natalium sociam esse magnam virtutem. Prætereo Heracidas, Perseidas, Æacidam & plures tam gentes, quàm familias nobili

bili vigoris documento ad miraculum præstantes. Felicius sacrarum literarum veritate nititur hæc generosi ordinis fides. Unius enim Judæ nobilior posteritas docuit, quàm sancta rei bene gestæ gloria æmulos nepotes illustret. Proinde ista sanguinis claritas, quam favorabili naturæ consensu virtus genuit, quam antiquior mundi ætas suspexit, quam utriusq; testamenti pagina comprobavit, in hunc usq; diem pondus servat, cùm absoluta principalis imperii autoritas in præclarioris facti redhostimentum privilegia elargitur, quæ bene meritos, & ipsorum non degeneres posteros vulgo eximunt, eoq; clarius induunt nobilitatis nomen, quò antiquius a vitæ gloriæ testimonium ferunt, ex quo prima & præcipua excellentioris ortus nota desumitur. Omnes enim nobilium filii, & descendentes ex legitimo toro procreati lege naturæ nobiles  
exi-



existunt, (exceptis extraneis, spu-  
 riis nothisque, in quorum miseriâ  
 apud Gallos & Turcas dissentiens  
 consuetudo connivet) & donec vi-  
 tiorum macula non erumpit, quæ  
 acceptam à majoribus lucem in  
 tenebras convertat, eosdem ut fa-  
 cultatum, ita & virtutum fore he-  
 redes, continuato in posteros affe-  
 ctu, populus præsumit: contrâque  
 obscuri & depravati seminis affine  
 scelus jure metuit. Quanquam sint,  
 qui tam severo limiti dignitatem  
 hanc includant, ut servato paterni  
 dedecoris vestigio, nec tertiam  
 progeniem innocentia absolvat.  
 Apud Germanos (etiam si naturæ  
 ductu nobilitatem concilient nu-  
 ptia) personarum inæqualitas ci-  
 catricem ducit. Siquidem infalli-  
 bile patricii generis documentum  
 daturi, in utrâque parentum serie  
 octo ex majoribus necessariò nu-  
 merant, in quibus hæc inæqualis  
 conjugii labes non hæserit. Ma-  
 culari

culari veterum sanguinem credunt, si ad imparem familiam matrimonii consortio accesserit, nec in multas stirpes hanc elui notam statuunt. Oriundistali semine liberis nec ad Canonicatus, aut præbendas nobilium, uti vocant, nec ad torneamenta aut velitationes equestres accessus patet. Olim ignobilis consortii amorem ducibus Canulejo & Icilio vetabat Romanæ reip. severitas, quam hodierna quodammodo sapit Germanorum consuetudo. Venetiis, ubi Status ratio legis rigorem temperat, generis excellentiæ, dotales fortunæ æquivalent. Verùm enim verò non inveterata, aut per genus ducta divitiarum affluentia successum hominis perpetuat; quin potiùs nobilem natum discernat virtus: deponantur, quotquot obstant, fortunæ mendacia, corpus ipsum exuatur, & animus pateat, qualis quantùsq; sit, alieno an suo magn<sup>9</sup>.

*Nam*

*Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,*

*Vix ea nostra puto.*

Dignum herõe Verbum Marii apud Sallustium: Majorum gloria posteris quasi lumen est, nec finit eorum acta obscurari. Quantò vita majorum præclarior, tantò horum socordia ignavior. Ille sublimis, ille clarus, ille integram sanguinis gloriam jactet, si vitiorum servitia dedignatus, malit recti studium, officii conscientiam, in cupiditates imperium, avaritiæ contemptum. Ut navim vacuum & inanem omnes in mari circumagunt venti; sic in hominibus rudem illam & vagam mentem, quam pondus & veluti saburra rationis non stabilivit.

*Doctrina sed vim promovet insitam*

*Rectiq; cultus pectora roborant;*

*Vtcunque defecere mores,*

*Dedecorant bene nata culpa.*

*Omniū igitur ætatem feliciter*

*ex-*

exercebunt disciplinæ, quibus æternitatem emet, quibus eludet ambitiosæ voluptatis blanditias, fallaces seculi fastus, ad quas mundi phaleras cæca humani generis cupiditas obstupescit. Principiò invictam in omnes periculorum occurfus industriam VIR NOBILIS exhibebit, & gravissimos fortunæ ictus Spartanâ patientiâ excipiet. Habet hoc optimum generosus animus, (verba sunt Philosophi) quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant & fordida. Felix, qui ad meliora imperium animi dedit: ponet se extra conditionem fortunæ, prospera tentabit, adversa comminuet, & admiranda aliis despiciet. Meruit olim, imò meruit, quæ in periculis cernitur, animi magnitudo, laudis fastigium. Haut enim cujusvis est, ingruentes calamitatum turbines vincere, terrorésque sub jugum mit-

mittere, nec ipsum fomitem vitæ sanguinem patriæ denegare. Rectissimè antiquitus omnes bene constitutæ nationes, ut præclaræ actionis stimulum admove-  
rent, optimis prærogativis fortitudinem donârunt; contrâq; ignavam formidinem, neque laborem, neque felicitatem pati idoneam, ceu ignominia & turpitudinis parentem despexerunt. Macedones capistro publicè cingebant, quos nullâ in acie occisi hostis gloria commendaverat. Scythæ legibus cautum habebant, ut circumlato in sacris epulis poculo abstinerent illi, de quibus nulla militaris constantiæ indicina extaret. Honores in plebem & vilia ingenia devenire prudenter nolebant, & ad notitiam singulorum experimenta poscebant. Quoniam quid singuli possint, nisi tentando non docent. Sine adversario marcet fortioris fiducia spiritus. Adversæ res exer-

B

cent

cent virum, & ad honesta erectum  
 experiuntur, indurant, saluti publ.  
 præparant. Nautam corpus feren-  
 do mari durum, agricolam callosæ  
 manus, heröem militares lacerti  
 indicant. Per inertiam saginatae  
 mentes languent, & dum intra pri-  
 vatos parietes securè desident, ipsi  
 vulgo sordescunt. Erras, si ejus-  
 modi hominem amplissimâ licet  
 gente profectum à vulgari fæce di-  
 stinctum velis. Donec ad arbitrium  
 suum poterit ostendi, nitorem (fa-  
 teor) tibi mentietur; sed cùm pri-  
 mùm erumpentis conscientiae fa-  
 stidia fucum detexerint, tùm de-  
 mum constabit, quantum altæ &  
 veræ fœditatis alienus splendor  
 absconderit. Laudentur ergo prisca  
 Romanorum mores, qui, sepositâ  
 stemmatum curâ, masculam inge-  
 niorum vim aestimarunt, & imagi-  
 nes equestres, coronas, murales,  
 castrenses, civicas, triumphales  
 non solis nobilibus concesserunt,  
 sed

sed omnibus, qui mortem pudendo  
servitio prætulerant, qui oppetere  
pro patriâ dulcissimum augurium  
putaverant. Tales Decios, Porcios,  
Marios, Tullios, in illustris vitæ  
exemplum æternæ memoriæ con-  
secrârunt. Angustior inde ad obti-  
nendum nobilitatis jus fortitudo  
extitit, quòd huic ipsi primores in  
Republ. titulos ac nomina sua fe-  
rebant accepta. Sic Imperatores  
quondam dicti, quod exercitui im-  
perarent, Duces, quòd ducendis  
præessent copiis. Quæ priùs officii,  
pòst (circa ætatem Caroli Magni)  
dignitatum nomina extitere; se-  
cuta sunt insignia, clypei, arma in  
tesseram probatæ fidei merentibus  
indulta. Ipsa originem suam feuda  
bellicæ huic debent virtuti, cujus  
intuitu scriptæ de iis consuetudi-  
nes usui nostro supersunt. Sed fru-  
strà, inquis naturæ dona severioris  
scientiæ titulo oneramus: frustrà  
scelerum dehonestamenta vita-

mus, immortalem innocentiae gloriam expetimus, si fortior periculorum contemptus praestat, si strenui solum bellatoris

— *victrices intexunt limina palmae.*

Longè meliùs, Lectiss. Audit. magni Oratoris effatum nos docet: Fundamentum perpetuę commendationis & famę justitia est, sine qua nihil potest esse laudabile, nihil honestum, quod ipsa vacet. Ad hanc bene sanos invitat vera ratio, quæ peccandi verecundiam amat, patrociniã ac velamenta libidinum horret. Justitię admiratione initio ducti mortales, fidei eorum, qui sublimitate mentis eminebant supra fatalem luem, omnes opes deponerant; ut donec vis & furens cuncta impet<sup>9</sup> administraret, & latronum impunè sæviret impietas, præstantioris viri præsidio inniti possent; cujus deinde virtuti tanquam perniciosæ iniquitatis medelæ se reverenter submittebant.

Hinc



Hinc regię potestatis dignitas, hinc Optimatum & Principum æstima-  
 tio ipsúmque; nobilitatis nomen re-  
 diit, antiquius bellicâ laude; cujus  
 erant capaces honestissimi quiq;,  
 & condigno morum specimine il-  
 lustres, vocabantúrque; milites quasi  
 ex millibus electi. Insuper seria  
 justitiae & æqui reverentia opinari ve-  
 teres cogebat, ne apud inferos qui-  
 dem sine gravissimâ legum & judi-  
 ciorum severitate ullam multitu-  
 dinem consistere, unde Æacum &  
 Radamanthum, quibus in virtutis  
 mercedem cœlestis originis præ-  
 rogativam deferebant, jura dedisse  
 umbris poëtæ fabulantur. Sine fu-  
 co ethnica simplicitas curabat eo-  
 rum cultus, qui venerandæ curâ  
 justitiæ clarescebant. Sic Phoro-  
 neo, Cecropi, Lycurgo, Draconi,  
 Soloni, & aliis duraturam honoris  
 amplitudinem decernebant. Di-  
 cerem probè calluisse barbaros, in  
 sanctis justitiæ penetralibus perpe-

tuum decentis facti respectum religiosâ cum observatione versari, nihilque fructuosum, quod parum honestatis saperet, duci. Prorsus ut admirabile sit, hoc illis naturam dictitasse, quod plures nostri ævi longâ Sapientum doctrinâ præceptisque Philosophorum, imò ipsa Theologiæ luce, nequeunt consequi. Quod si verum est, quorsum splendens per turpitudinem ambitio, & feroces conatus incultæ barbariæ collatione fœdiores? I, miles, produc scutum divulsam, fractam galeam, hebetem gladium, ostenta scissam vulneribus faciem; levitatis argumentum dabis, nisi divinæ virtutis hujus testem proferas. Audacem foris bellatorem agis, domi in omnes immundiciæ actus fervilem animum occupas. Optimè Socrates hanc viam ad gloriam esse proximam & compendiarium docuit, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset. Nec  
in-

in scitè idem interrogat<sup>9</sup>, quid esset fortitudo, Nodus, inquit, animæ cum corpore. Imò verò nobilitat hominem fortior indoles, sed cui præfideat sapiens hæc Dea. Quotiescunque alacrioris consilii successu lætaberis, ne transversum quidem unguem excedes hunc litem. In periculis virtutem impigram esse convenit, & audacem; at piè simul consultam. Irriti laboris vitium est, quicquid in laudem justitiæ non dirigitur. Ex hoc nascetur fundo, hoc nutrietur succo, hoc robore & subsidio valebit generosæ mentis commendatio. Nebulis nubibusq; noxius Auster auram violet, solem non videbis; lumen tolle, nullus oculorum usus supererit; ita si principem hanc spernas legem, arduæ voluntatis vim nescies. Felix in cuius auxilium festinat fortuna tam familiaris, ut ex voto inveniat, quicquid avaritia quærit, luxuria nescit, na-

tura habet. Felicior multò, qui celebrem se opulentumve credit, non cùm fluxæ felicitatis præsidia securè ostentabit, sed cùm in hoc vitæ salo pessimis displicere incipiet, & sapientiæ ac justitiæ immobili peculio gloriabitur:

*Non illum rabies, minaq; Ponti  
Versum funditus excitantis æstum,  
Nec ruptis quoties vagus caminis  
Torquet fumicos Vesevus ignes,  
Aut celsas soliti ferire turres  
Ardentis via fulminis movebit.*

Nimirum, ut pulchrum est, eminare moribus ex dignitate constitutis; sic gloriosum, superbæ cupiditatis auctoramentum fastidire, & perpetim in consilium advocare præsidem justitiam, à quâ manat juris civilis prudentia, eamque, restante JC<sup>to</sup>, ignorare, turpe ducitur Viro Patricio, seu Nobili, quippe salutem civium vitamque hominis & quietem tuetur, ejusq; debitores dicuntur Principes. Nobilis-

bilissimæ hujus, & ex judicio Platonis regiæ disciplinæ summo semper in honore fuit & cognitio & interpretatio. Cordatissimus Romanorum Principum Germanicus orâsse causas dicitur.

*Flos illibatus populi Suadæq; medullæ*  
 Cicero, probatâ legum peritiâ, inter applausus publicos consenuit. Alpheno JC. tabernæ sutrinæ alumno nobile Romani Consulatus munus exculti juris titulus detulit. Salvium Julianum Didii Imperatoris proavum civilis prudentiæ famâ nobilem Spartianus prædicat. Nuperrimus Romanorum Pontifex Paulus V. quòd Doctoralem juridicæ facultatis lauream demeruisset, dignior audiit. Adhuc Ibera & Hetrusca nobilitas maximum privilegii sui pondus Doctoratu metitur. Author est recentioris ævi non ultimus Orator, Illustrissimos Germaniæ Principes in Familiarum suarum decus &

ornamentum Academicos antehac gradus expetivisse. Profectò in dubium vocari nequit, politioris literaturæ, imprimis verò Civilis doctrinæ antistites in publ. felicitatis compendium amplissima conferre merita, quoties cum decenti affectuum tenore in subselliis habitant, & lucem ingenii porrigunt consulentibus; ne feroces audeant querimoniam obloqui, Periisse mores, jus, decus, fidem; nec plebs suæ relicta libidini in præcipitem ruat licentiam. Ex hac porticu prodeunt, quorum curæ imperantium majestas, populi securitas, legum reverentia debetur. Quidni hosce excelso loco dignissimos popularem multitudinem antevertere arbitramur ad invidiam eorum, qui domestico præconio imperitiæ suæ testes colligunt, qui illotis manibus jura contrectant, & in forum quasi in impudentiæ ludum cruda propellunt studia? Faceffant Morbo-

bo-

boniam ista forensia pecora, & togati vultures, quibus perniciosè adeò indulfit seculi barbaries, ut si dies singulis esset dicendus, Quando, roget aliquis, ad me venient? Soli communem societatem & genus humanum tutissimè promerentur, qui ad piæ rationis lancem singula rerum momenta expendunt. Hos proximè sequuntur cautissimi Medicæ artis Magistri & sanioris Philosophiæ Professores, quos videns olim Diogenes, cùm humanæ vitæ examen meditaretur, nullum homine sapientius vivere animal dixit. Studiorum precia scelestè auferret, qui omnem illis privilegiariæ nobilitatis fructum negaret. Porro eminentioris familiæ vetustatem, animique ad majora nati laudem non obscure notat magnificentiæ fama. Propriam hanc fastigii principalis dotem æstimari, Imperatoria Diocletiani vox fuit. Legem quippe sibi eam imponit

nit nobilitas, ut debere se, quod sponte tribuit, existimet, & nisi in beneficiis suis creverit, nihil se prestitisse putet; imò tum demum preciosam credat pecuniam, quando largiendi usu desinit possideri. Latinus dicendi artifex in præclarâ illâ pro Dejotaro Oratione, Hominem, inquit, frugi esse, non multum laudis habet in rege: fortem, justum, gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regiæ laudes. Vivet in Heroibus, vivet, quoad oculos usurpabunt, exemplum Titi munificentissimi Imperatoris, qui temporis jacturam doluit, in quo rei familiaris benignitatem non aperuisset, & neminem unquam sine amicæ voluntatis argumento à se dimisit. Non alia splendidiôr consequendæ gloriæ ratio est, quàm si, juxta Flaccum, mentem

*— cum divitiis habeas, artémq; fruendi:  
si quot domi talenta numeras, totidem*



dem virtutum officia tibi præscribis, inque ipsis malorum irritamentis imagines honesti concipis. Dedit, non dicam fortuna, sed benignior Deus facultatum copiam, ut ad magnificam pietatem invitaret, qui sine exemplis boni esse nequeunt. Postremò non paucos evellit eloqui vis, & prudens facundioris subertas. Quanto quisque plus dicendo poterat, (Quintilianum auditis) plus apud principem gloriæ, plus authoritatis apud Patres, plus notitiæ ac nominis apud plebem parabat. Ut sciamus sine linguæ gratiâ sapientiam prudentiamque laborare, necessario nexu in unum velut Numen coalescere Mercurium Minervamque antiquitas voluit. Rem verbo comprehendam: Non existent verè nobiles, qui de facundiæ penu limatioris iudicii fructus depromere turpiter nauseant: efficaciora non dabuntur virtutum rudimenta, quibus animi

ad honestam gloriæ cupiditatem alantur. Atque his virtutum insignibus vulgi commercio feliciter excedunt, qui hæreditario jure sapere jubentur, seu quorum candor à patriâ ferrugine degenerat. Difficile quidem & immensum opus est, sui modum tenere, & eniti ad verum istud decus; sed generosa pectora salutari rationis severitate impetum voluntatis compescent, & ultra terminum moderationis nequaquam exilient.

Acerbè fatis in Pisonem Tullius, Obrepisti, inquit, ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum, quale simile nihil habes præter colorem. Sic est; ignominia labem contrahit & populi despectum, qui humilem animi faciem nobili fuco tegit, utque vitam turpi silentio transeat, fœcordiâ & desidiâ bonum otium conterit. O Te miserum, qui honestam nominis curam floccipendis!

dis ! Naufragii pretium modico sumtu reparari potest ; sed contractam semel probri maculam vix omnibus undis abluerit genitor aquarum Oceanus. Aperto virtutum cultu, non fallaci splendore nobilis viri felicitas continetur ; & vulgarem sortem justissimè is superat, qui non modò in recessu familiari, inter privatos lares & Vestæ penetralia meritorum amplitudine eluceffit ; sed in luce gentium, in oculis hominum, in celebritate provinciarum positus est. Quæ gloria potest esse major, quæ firmior sempiternis seculis, quàm abjecto fastu ad humanitatis exercitia descendere & famâ justitiæ amari ab omni hominum genere ? Plenæ sunt Sapientum voces, plena exemplorum vetustas, plena etiam præsens ætas, nullum superbâ tumentium opinione splendorem perennare, & infamem contagiosi fastus morbum sequi.

*Quam-*

*Quamvis se Tyrio superbus ostro  
Comeret, & niveis lapillis;  
Invisus tamen omnibus vigebat  
Luxuria Nero savientis.*

Piè autem inviolatèque passim  
venerari gentes solent memoriam  
eorum, qui in humanarum rerum  
despicientiâ & modestioris vitæ  
studio exercitati, hoc agunt, ut ex  
rescripto Imperatorum non ambi-  
tione, sed labore ad honoris aug-  
mentum devenire videantur. In-  
dèque per honorificâ appellatione,  
quæ fastigiatum muneris apicem si-  
gnificet, eosdem dignantur. In  
Ægypto illustri notâ distant à pro-  
caci plebe Mammeluci: in Mosco-  
via Bajoreni: in Polonia Palatini,  
Castellani, Capitanei: in Turcia  
Visiri, Bassæ, Bellerbeji: in Hispa-  
nia Corregidores. Latere scilicet  
Virtus renuit, & quo clarius occu-  
pavit animæ domicilium, eo majus  
sui præmium exigit, strenuè inte-  
rim despiciens titulos ac nomina  
per

per adulantium astus inventa; quæ ad dignitatum discrimen tam anxie plures ambiunt, ut nulla re certius ipsorum favor concilietur, quam cum arte & honore compellendo. Ad Cyclopum induendos illi ritus, non ad tuendam auctoritatem præstarent, æquè ac ad publico laboris gravitatem inepti essent, qui clanculum serpentibus flagitiis officiosum candorem solertissimè adumbrant. Nollem liberiori effato seculi nostri pudorem onerare; satis est ad cautionis argumentum, quòd tales Calophantæ, sui temporis pacem concedant adolescere in occulta malorum semina & nepotes fortassis perditura. Agite, quotquot excelletis natalium honestate, eminenter ascendite supra humanos errores, non incautò possidentes, quicquid in speciem laborat, quicquid ad alienum suffragium venit.

*Licet*

*Licet remotos fama per populos means  
 Diffusa linguas explicet,  
 Et magna titulis fulgeat claris domus;*  
 Omnia tamen hæc demoliri au-  
 det vetustas, obscurare oblivio,  
 carpere posteritas. Invictus virtu-  
 te animus ipsa diuturnitate flore-  
 scit. Fumosæ parentum imagines  
 sterili filio duntaxat in opprobrii  
 damnum valent. Dignè Macedo-  
 num Rex Antigonus petenti pigro  
 militi stipendia paternis æqualia,  
 Propriæ, non paternæ fortitudinis  
 brabia militibus offerenda re-  
 spondit. Nolite insolescere pri-  
 vilegiis, quæ, si meritum abest, fur-  
 tivi coloris mendacium inhonestè  
 tollit. Nam & profundissimum  
 cœnum vestit fragilis indignâ  
 fronte cespes, fimum nives indu-  
 unt, nec ipsis serpentib<sup>9</sup> pulchrum  
 veneni tegmen deest. Hominis est,  
 non splendide, verùm sanctè vive-  
 re, exactisque ad honestatem mo-  
 ribus antegredi bestias, quibus ipsis  
 vir-

virtutem & quasi innocentiam  
 quandam assignavit nature parens.  
 Hominem is exuit, nec vulgo so-  
 lum, sed & brutis vilior est, quis-  
 quis accensam divinitus ingenii lu-  
 cem præposterâ vivendi licentiâ  
 obruit; virtutem prostermit, ratio-  
 nem repudiat. In fidem Ægyptiæ  
 nobilitatis alæ vulturum insignie-  
 bant domorum vestibula. Romani  
 annulum gestabant, teste Patavino  
 scriptore. Quò melior generosita-  
 tis vestræ indicatura exstet, inte-  
 gritate munitum pectus sit, quod  
 à statu suo non dimoveat simulan-  
 di libido, quod perumpere ne-  
 queat metus aut dolor, nec fallat  
 gloriæ pruritus, quem affectum,  
 seu veriùs morbum, proh! nimis  
 frequentem ut ejurent mortales,  
 difficulter à suo genio impetrant,  
 effæto hoc bonarum legum secu-  
 lo, quo æmula peccandi ambitio  
 & impunitas regnat. Non illiben-  
 ter cedit vulgus, aut timere assue-  
 tus,

tus, aut spernere, ubi consentiens cum nascendi fortunâ virtus reverentiæ legem deposcit, & humilioris personæ dignitas magni nominis mensuram implet. Quapropter se quisq; componat ad exemplum & imitationem optimorum: terrena negligat, cœlestia cogitet. Si non omnes evadent Scauri, Catuli, Catones, non minùs pulchrum & gloriosum ducant ad summa contendentes in secundis tertiisq; modestè constitisse. Hac continentia gloriâ antevenient principes viros, ipsum Pellæum juvenem Orbis domitorem, qui postquam Hyrcana stupra, Persicos incestus, Scythicam barbariem, Sogdiorum parricidia, Arachosiorum otia heroico impetu emendaverat, fastuosæ intemperantiæ succubuit. Eri-gant fortiter mentes suas Virtutum Candidati, & quicquid in medio sordidi jacet, intrepidè transiliant; expectat eos in summo dignif-



DE VIRO NOBILI. 45  
gnissimus honor. Iuva, o Deus, qui

*Destruis impios,  
Ut nec nomina seris*

*Narret fama nepotibus.*

*Quum vis incubuit foeta superbia  
Infrani, miseris praesidium pates.*

Doma contumaces arrogantiae  
spiritus, ut in solidam beatæ nobi-  
litate spem, non voluptuosæ secu-  
ritatem pompæ religionem pro-  
pugnemus. Erudi nos ad iustitiam,  
firma ad temperantiam, præpara  
ad agonem, institue ad pietatem;  
donec sepositâ in cœlis nobilita-  
bimur coronâ fidei & præmio æter-  
nitatis. Juva o Deus!

D I X I.

ORATIO



## O R A T I O

D E

N O T I S I N C O R -  
R U P T Æ R E I P U B .

*Habita postridie Id. Aprilis, Anno  
C D I O C X X V I I I .*

*Illustres ac. Præpot. Dni. Ordines & c.*



I cui vestrûm fortas-  
sis mirum videatur,  
me tantum huma-  
nioris doctrinæ cul-  
tui concedere tem-  
poris, uti ad severæ  
disciplinæ dignitatem tardiùs a-  
spirem, quàm vel ætas mea, vel  
communis consuetudo ferat, is si  
maculam affectus detergat, nec ad  
similitudinem, sed rationem com-  
ponere studia malit, facillimè ex  
eâdem mecum sententiâ sapiet;  
lon-

longèque præstantius atque utilius  
 futurum credet, subsistendo ali-  
 quantisper in vestibulo elegan-  
 tium scriptorum instabiles ingenii  
 vires ad altiora firmare, potiùs  
 quàm ad priscos illos Codices ru-  
 dem animum præcipitare, & quasi  
 in partem fortunæ suæ trahere, ma-  
 turiùs ad miseram clientum advo-  
 cationem suffecisse obscuro tribu-  
 nali. Sanè non minimo ætatis dis-  
 pendio nobis constabit ea ars, quæ  
 bono pub. efficacissimè nos com-  
 mendat. Incidimus in seculum,  
 quod & silentii religionem, & li-  
 beræ vocis constantiam damnat.  
 Discimus fateri vera non dicendo:  
 discimus opportunè quod sentim⁹,  
 disertis verbis eloqui. Prudentiâ  
 opus est, industriæ fociâ, non in-  
 consultæ libidinis, aut verecundiæ,  
 quæ profectus sæpe non pœniten-  
 dos oblivione premit. Quod si hu-  
 milem probari conatum honestis  
 & benevolis auribus non esse me-  
 doctus,

## 48 ORATIO DE NOTIS

doctus, parum restaret, quin animum desponderem, dum juvenis ex umbratili ludo politici oratoris acumine nullo securus onerare doctissimorum patientiam non erubesco. Sed vi qualicunque apud ingenuos non carere solent verba in sceleris invidiam prolata. Observare exercitiam mundi histrioniam, & veluti asterisco providæ mentis notare variatas morum vias debet, quisquis non degener mundi vivit incola. Præsertim cum ejusmodi velo superbire incipiant vitia, unde nullam turpitudinis, per quam splendent, imaginem agnoscas. Jam pridem inquit Historicus, vera rerum vocabula amissimus; quia bona aliena largiri, liberalitas: malorum rerum audacia, fortitudo vocatur; eò Republica in extremo sita est. Quippe illustrent nequitiam suam Viri Principes: adhibito ingenio, & arte quâdam peccant, quos superior

perior populo cura secrevit : emi-  
nere per audaciæ titulos, & omnem  
otiosæ voluptatis luxum nititur  
vulgus. Quotusquisque est, qui  
Remp. videt? Non structis super-  
bissimè munimentis, non celebri  
capitum numero, non latissimo  
fœnore civitatis incorruptæ glo-  
riam metiri oportet.

*Vbi mores deteriores increbescunt in-*  
*dies; (pernoscere,*

*Vbique amici, qui fideles sint, nequeas*

*Ibi quidem, si regnum detur, non est*  
*cupita civitas,*

Ut eleganter habet Comicus. Ii-  
demum penates, ea civitas vel re-  
gnum excellenti in gradu solidif-  
simè steterit, ubi immota ordinem  
virtus servat, & vilipenduntur am-  
bigui fortunæ vultus, qui perni-  
tiosè alludendo decipiunt. Quales  
quæso adversum pejora suppetiæ  
munirent urbem, in qua fallaci o-  
mnia ad placendum fucō prostant,  
& salutaris morum candor exulat?

C

Colo-

## 50 ORATIO DE NOTIS

Colorem, quo capimur nescii, diuturnitas ducit: alieno splendore, quem fœditas abscondit, brevissimus imminet interitus: tametsi feliciter scabiem suam affricuit mendax Alastor, uti ad distinguendum crimina & innoxios vel sagacissim<sup>9</sup> quisque artem poscat. Eam verò sollicitis honesti cultoribus suppeditat Numinis benignitas, quando caligantis cerebri nebulam vero irradiat rationis lumine, infunditque semina scientiæ, quæ ad mortalis vitæ culturam preciosa est; imperantibus, ne potentia ipsorum intumescat in delinquendi voluptatem; parentibus, ne malefactorum verecundiam perdant, & contumaciâ gloriantur. Hinc notare Remp. fas est, corruptane sit, & alieno vocabulo triumphet, an fidem mereatur non fucatae virtutis. Quapropter cum meli<sup>9</sup> ea callere pericula senescentis ævi, nostra interest, relictis Politicor. secretis, quæ infan-

infantiam meam transcendunt, brevi & inculto sermone differam de Notis, quæ consensu omnipotentis Providentiæ non fallibile civitatis incrementum produnt. Adeste, precor, animis, qui adestis corporibus, & dilatis cogitationum feriis punctulum temporis in Athenæo hoc impendite.

Auream quandam veluti catenam A. O. supernè demissam, quæ omnia hæc inferna necessitudine continui nexus teneat, scitè per fabulam Homerus velat. Etenim actiones omnium nostras Ille ab æterno cuncta prospiciens providentiæ cernit intuitus, & suis quæque meritis prædestinata disponit, unde major nobis indicta est inculpata vitæ necessitas, cùm ante oculos agamus judicis cordium penetrabilia cernentis; qui pervigili & perpeti cura res omnes adit, cognoscit, judicat; judicatas immota quadam & ignota mundo serie

flectit & gubernat. Terret hoc fatalis ordinis insigne miraculum ignorantes & scelere vecordes, quos, dum falsis ad pub. infortunia suspiriis ingemiscunt, privata calamitas obruit. Rarò tamen cæcutire hîc videbuntur, quib<sup>9</sup> communium malorum altior sensus est. Examinat Optimus rerum arbiter Deus (cujus judicia multa sunt occulta, nulla injusta) examinat, inquam, ille mortales, & sibi præparat, non in deliciis habet, quotquot reproborum declinare confortia sapientissimè viderit. Imò olim constituit, quid singuli gaudeant, quid fleant. Regna quoque & Respub. in experimentum sui tristibus ducit, & simul ab interitu paternè vindicat, quotiescunque speciosa prævalere nescivit vanitas. Nihil, teste Philosopho, publicè stabile est: tam hominum, quàm urbium fatavolvuntur: interperitura vivimus. Sed magnæ  
ad



ad morbum non modò, verùm etiam ad interitum causæ existunt, quas distinguere solus callet Deus, qui suâ dextrâ protrivit populos, quorum deinceps *urbésq; solúmq;* Donavit patribus *venturisq; ordine natis:* qui nunquam non de Reipub. suæ terminis per fatalis seriem necessitatis eliminat, quodcunque adstrepit malum: útque lento satis ad injusti vindictam gradu rebellis populi pœnitentiam extorqueat, præmittit surgentis iræ prognostica, quæ Mathematicorum sæpissime legem frangunt & mentem; quæq; hîc illiciti pudorem & pios metus generant, illic avitæ impietatis pertinaciam ne quidem tangunt. Quid miramur interfectos homines, absorpta oppida, divisa regna, cùm vix supersint, qui tot cœli monita pensi habeant, qui funesta præfagia non aspernentur? Ægrotum cui nihil doleat, animo laborare, Hippocratis sententia est;

## 54 ORATIO DE NOTIS

est; sic insanire omnino, & furere dicas, qui mente pariter oculisque irati Numinis indicia floccifaciunt. Ne commenta superstitionis, auguria, eorumque jecur, qui ex animantium jecore sapiunt, æstimemus, nec singultui illi sonoro, qui apud gentes non barbaras, morum solæcismus est, aliisve muliercularum vaticiniis concedamus; certè in dubium vocare prohibemur, magnorum siderum suppressiones, & defectus majus aliquid terrarum orbi, quàm breves umbras inferre. Non inficiabuntur Naturæ consultissimi, nunquam impunè Solis & Lunæ deliquium aspici; multò minùs fulmina tormentorum sereno cælo, & fremitus frustrà imitari nubes: frustrà aërem miracula parturire, flumina campos superstagnare, plana vallium extuberare, acroteria templorum ac turres, sua sponte convivium facere, vel ipsâ mole suâ ruere.

ruere. Experientiam vestram, A. testem voco, aut raro, aut nunquam fefellisse ferales istos præcones. Ut plura taceam, meministis (*Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit*) subitam turris ruinam celeberrimæ ad Albim urbem portendisse diem, quem nefastis addi suadet pietas. Adverte omen, BREMA, & eleva modestiæ vultum, perdulcis patria, quæ ante lapsum bimestris spatii nullâ ventorum injuriâ, cum hominum & ædificiorum exitio ruentem Basilicæ domus turrim stupebas. Sic est: ut patrio nobiscum more Deus agat, miti calamitatum ferulâ expiare delicta mavult, & ad impigram innocentiae curam multiplici cœlestis zeli nuncio indefinenter nos invitat, edocetque, non subsistere decus civilis concordiae, quam virtutum nullus amplexus fulciat. Quocirca pub. felicitatis robur notaturus, perfunctoriè nusquam

transibit oculus; sed, quæ ratio disciplinæ, quæ vis legum mores stringat, acutissimè dignoscat; secus, objecto glaucomate, errabit, & fucatæ imaginis fallaciâ tenebitur. Vinculum civitatis *justitia* est, ad cujus exemplar si clarent domus, si concordant incolæ,

*Nutrit rura Ceres, almaq; faustitas;*

*Pacatum volitant per mare navitæ;*

*Culpari metuit fides.*

*Nullis polluitur casta domus stupris;*

*Mos & lex maculosum edomuit nefas:*

*Laudantur simili prole puerperæ;*

*Culpam pœna premit comes.*

Prosperat enim Deus gentem, & liberat temporum periculis, quæ per humanæ levitatis oblectamenta luctatur ad molestissima virtutum studia, nauseâtque effrenis licentiæ voluptatem. Brevissimâ verò terminabitur periodo salus pnb. quam deseruit cœlestis illa nutrix. Ut plura malefultæ domus ruinam indicia præmonstrant; sic exitii

exitii certitudinem civitatib<sup>9</sup> por-  
tendit dissoluti moris impunitas.  
O beatum verè regnum, cujus cla-  
vo præsidens justicandor, & æqui-  
tatis reverentia moderatur! Demus  
illustrem civium copiam, demus  
privatos divitiarum fastus, inter-  
eunt hæc omnia, evilescunt, perni-  
ciem accelerant, nisi severo le-  
gum optimarum temperamento  
præstet Magistratus, ut sit urbi  
pater,

*Urbiq<sub>3</sub> maritus:*

*Iustitiæ cultor, rigidi servator honesti,*

*In commune bonus:*

Qui non gratiâ, nec ambitione,  
sed inæstimabili conscientiæ pre-  
cio ductus, arceat honestatis invi-  
dos, & ex paternâ fortunâ licen-  
tiam usurpantes. Verùm enim ve-  
rò ubi tanta magistratuum severi-  
tas, tantus Principum rigor subdi-  
torum officia sollicitat, quin impu-  
nita plurium libido innocentia  
gloriam angat, & eousque proruto

obice defæviat, uti nihil æquè nefarios torqueat, quàm irritum dedecus, & dispar odii successus? Inde sceleratissimus quisque ex suâ audaciâ fortunam sibi comparare, addo & æstimare non dubitat, dum proceres, quorum custodiæ deposita populi libertas est, ad voluptatem & ambitum sacræ dignitatis utilitatem corrumpunt. Semel quippe propositâ spe impunè lasciviendi, quæ proxima solet esse ad furorem illecebra, præsertim quando ingentis commodi fulgor animos perstringit, latissimè serpit virus, & pernicioso respub. exemplo concidit. Credimus effato divini viri, Remotâ justitiâ, nihil esse regna, nisi magna latrocinia. Non stabit ulli sua incolumitas oppidulo, in quo nihil non venale, & libidini pervium, inque suo magnates dolore ferocientes, Reipub. injurias fœdè largiuntur. Quo utinam malo non fordesceret præsentis

tis

tis ævi facies! quâ tot callidi commodorum suorum caupones & indutæ purpurâ vulpes invalida legum auxilia vi turbant & scelere, nec quicquam sibi ad cumulum beatissimi status supplendum deesse somniant, dummodo suam perfidiam aliena ad vocabula transferre valeant. Non vos præterit, qui seculorum carcinomata & vibices publicas attentiore oculo observatis, fycophantarum artes passim, dehonestato virtutum præsidio, vestire tribunalia, ad quæ consistit dubium inter abruptam contumaciam & deforme obsequium vulgus, suamque ex aliena lascivia miseriam speculatur. Proh! quàm turpiter circa rem maximi momenti se traducendos præbent homines, ut decoctores sint & suæ existimationis, & pub. securitatis! Vix tam frequens justitiam petulantia infestaret, si dignos regibus affectus fortuna sui

fastigii inspiraret; si mores ex officio instituerent magistratus & dignitati suæ accederent, innocenti gloriâ omnem ambitum communi patriæ donantes. Sed luxuriantur suffragio, quod precio & adulationi acceptum ferunt, & sortem suam excedunt, ignobilitatem magnis nominibus inferentes. Egregii verò libertatis antistites qui inter fugitivæ hæc felicitatis simulacra obliviscuntur infortunii, quod in decipientis ignavię mercedem subeunt. Quæ spes miseros solabitur cives, quum ejusmodi lethargo vulgari illufarum mentium morbo correptos vident, in quibus adorari vim publicam, pietas imperat? Præclare Simonides, πόλις ἀνδρῶν διδάσκει, urbs virum demonstrat. Arduum scilicet regendi cuncta onus, cui ferendo tantum abest, ut præceps cura, aut à scholis & magistrorum supercilio exeuntium præmatura libertas impar



par non fit, ut sincera & per se ornata simplicitas, nihil obtendens moribus suis rarissimè sufficiat. Quò magis in evitanda corruptionis labe occupatis incumbit, sordidas Didiorum & Sulpitianorum averfari nundinationes, & amoto omni prætextu, patenti via ad verum pergere. Ea, inquit Imperator, quæ in commune omnibus conferunt, his præponimus, quæ privatim aliquibus expediunt. Tutelam imitatur Respub. utriusque officio alienum spectante emolumentum. Non ea, fateor, nos seculi virtus beat, quæ olim Curios, Camillos, Coruncanos, Fabricios, Maximos togatæ genuit civitati. Nemo est, qui carâ illâ & patrimonium destruyente sollicitudine prodesse gaudet. Nisi præmiorum invitat voluptas, nemo soli virtutis pulchritudini debebit iudustriam. Et ob id tolerabitur faciliùs aliqua honorum opúmve in impe-

rantibus libido, duntaxat contenti publico & veluti concessio peccandi more, fidem probent emti muneris. Perpauci verò se hoc muniunt vallo, quò grassanti stultitiæ aspirare fas non sit: perpaucos mundi rectores superbia destituit & sui amor, ex quo lenta proveniunt semina civilis damni, & extuberant,

*Terrenis quoties flatibus acta*

*Crescit in immensum noxia cura.*

Haut æquè subditis infestum quid, seu perniciosum, quàm cum judiciorum tutores, obliti Deæ, cujus titulis & vicaria quasi fide jusdicunt, se ad placendum fucò subornant, & inhonesti veniam callidè participant, aut, quem propitiis gratiis obtinuerunt locum, ignorantia recti & invidia deformant. Exin major peccandi fiducia juris auctoritatem adulterat; & hanc sive exosam innocentium causas malitiam, sive vacuum acumi-

nis

nis socordiam seducta discit turba  
 patronorum, quibus ditescere  
 clientum miseris votorum sum-  
 ma est; qui in præcipuæ scientiæ  
 partem habent, invenisse in legi-  
 bus per varios calliditatis articu-  
 los deflexis, quo eludatur simpli-  
 citas, & pascatur nequitia bono ju-  
 re abutentium. Quis dubitat in re-  
 rum suarum discrimen adductus  
 supplicare talibus, vel torvos mul-  
 cere, vel dulcedini ambitionis  
 apertos omni venerationis gestu  
 fatiare, ne perpetuis hæreat nodis  
 producta in forum actio; sed (quæ  
 modesta crudelitas est, & ex vitio  
 consuetudinis tolerabilior) infi-  
 nito & religioso veluti tracta or-  
 dine ferum tamen exitum fortia-  
 tur? En prostituta togarum ac tri-  
 bunalium majestas, quæ simul ac  
 civilis pœnæ metum solvit, ultio-  
 nis divinæ periculo proximat! Cu-  
 stos æqui Deus & vindex severior,  
 latere vetans confinium artis &  
 falsi

64 ORATIO DE NOTIS

falsi, vim sui exerit iudicii, & vindicato virtutis nomine, temerarios cœtus domat, destruit, extirpat. Exemplo hæc non uno stetit à cunabulis mundi veritas. Rectissime & ex ipso sapientiæ penetrali Hesiodus; qui sic Latinè sonat,

*Vnius ob crimen pœnas urbs tota re-  
pendit,*

*Si quis sacrilegè sese gerat aut injustè:  
Iuppiter hinc cœlo clades immisit ab  
alto,*

*Pestem sive famem.*

Feriat hoc superbis fascibus & inutiles scientiæ famâ defides, quam virtus probitasque pessimo divor-  
tio deserunt. Anacharsis olim de Atheniensibus, Eos uti nummis tantummodò ad numerandum; sic hi scientiâ ad sciendum. Quam titulus doctrinam indicat, cum decenti usu prudentia confirmabit. Infra optimorum magnitudinem jacet, velare turpem desidiam, quam gravioris dehonestamenti paren-

parentem non admittit illæsa imperii dignitas. Renuncient igitur ignavo labori & præposteræ vivendi licentiæ cives: præsideat digni ordinis senatus nec gratiæ nec severitatis expers, & notabitur incorrupti status beatitudo, quam mirificè fovet reciprocus amor & consentiens in publicam fortunam pietas. Nam vero tùm demum illa perennat incremento, cùm nullius odii ac æmulationis memoriam exercens, justitiæ partes agit concordia; concordia dico, cui Spartam posthabuit munitissimam ille Lacedæmoniorum regum celeberrimus. Ut omnia inter se membra consentiunt (verba sunt Philosophi) quia singula servari totius interest; ita homines singulis parent, quia ad cœtum geniti sumus. Non laborabit imperii corpus membrorum consensu validum. Sustentat privatorum res ægras valetudo Reipub. quâ adversâ redeunt

66 ORATIO DE NOTIS  
eunt ad incitas. Haut quicquam  
cuiquam expediet, quod non idem  
in commune profit. Impenetrabi-  
lis continentiae documentum est,  
sudere pro communibus commo-  
dis, subire pro repub. tempestates,  
etiam cum periculo offensionis.  
Degeneres contra, quibus in tur-  
bas plurima vis, ex arroganti fi-  
multate precia pub. quietis aesti-  
mant, negliguntque sui temporis  
pacem in occulta malorum semina  
adolefcentem. Malum facinus in  
se committere, qui incommodo  
civitatis gratiam sibi conciliat, di-  
ctum Sallustii est. Bonorum ci-  
vium, suborto quovis motu, invi-  
cta praestat modestia. Veneran-  
tur illi & obsequio mitigant suos  
rectores paratissimi semper, qui  
pro honesto dura tolerant, & ad  
causam à patientia respiciunt.  
Eumque amorem (ne aboleatur,  
aut contrariis acescat affectibus)  
pari virtute tuebuntur magistra-  
tus,

tus, qui ipsâ majestatis conscientiam elati nunquam in ignobiles metus, nec scelestâ remedia se demittent, etiamsi turbulentioris ævi faciem, & populi nanciscantur insaniam. Mansuetudo & comitas austeritatem temperabit, cujus in suo munere veniam aliquam tenent, non laudem. Attriti quippe negotiorum serie & fastidio vix eosdem perpetim vultus vel mutatâ vel afflictâ serenitate servabunt. Benevolentiam merebitur mixta gravitate facilitas; sed quæ nullum truculentæ vocis strepitum ferat. Fluxa enim per contentiones civium fides est, & periculum ex singulis, qui contumaciam cum pernicie diligunt obsequium cum securitate contemnunt. Denique, spreto auræ popularis aucupio, probabuntur dotes, quæ fidem inveniant, quæ legis reverentiam urgeant. Tutissimum colligendi favoris artificium exempli exhibet honestas, quæ

68 ORATIO DE NOTIS  
quæ manare in plebem solet &  
emendationi viam sternere; juxta  
Poëtam,

——— *Non sic inflectere sensus  
Humanos edicta valent, quàm vita  
regentum.*

Sicut in Helicen suam intuetur  
navis gubernator; ita mentem  
oculosque in eos figit populus, qui  
in excelso ætatem agunt. Licet vi-  
dere, (ait oratorum columen) si  
velis replicare memoriam tempo-  
rum: qualescunque summi civita-  
tis viri fuerint, talem civitatem  
fuisse: quæcunque mutatio tempo-  
rum in Principibus extiterit, ean-  
dem in populo secuturam. Quo  
perniciosiùs de Republ. merentur  
vitiosi Principes; quòd non solùm  
vitia concipiunt ipsi, sed ea infun-  
dunt in civitatem: neque solùm  
obfunt, quòd ipsi corrumpuntur;  
sed etiam, quòd corrumpunt, plús-  
que exemplo, quàm peccato no-  
cent: Optimi magistratum satel-  
lites



lites sunt iustitia, fides, & recti tenax candor, quæ non minùs in ipsorum amorem pellicient vulgus, quàm panis & Circenses. Insaniunt, qui potentiam metiri audent insignibus sumtuosæ dignitatis. In benevolentia & veneratione civium sita est vera magnitudo, quæ repudiat ampullas sequipedalium titulorum. Hanc regiam gazam, hunc preciosissimum thesaurum nec ab India subvehent, nec auro Philippéo parabunt, quoscumque in sublimi posuit Superùm favor. Soli discescent eo innocentes, & ad virtutis exemplum facti; quamvis barbarè fatis obmurmuret cum M. Lepido Catilinæ socio, & Atreo Doctor Florentinus, qui, num integritas commendet viros Principes, num sæviendi vafra nequities, ne circum interdui. At enim interrogetur Stagirites, cur privatorum virtutibus cedere Magnates noluerit:

rit:

## 70 ORATIO DE NOTIS

rit : consulantur Plato , Xenophon , Seneca , Panegyrista , qui regnum decere ajunt , ut nemo doceat fraudis vel sceleris viam. Collidetur suis ipsa vitiis & intestinis dissidiis plebeja multitudo , cùm primùm discordi libertate lascivire cœperit ; lascivit autem , ubicunque malè-faciendi frena laxat Superiorum libido , quæ potentiâ facilè abutitur ad vitium. Itaque fugiendus hic bonæ mentis scopulus , litandumque honestati ; cujus sufflamine opus habent , quibus impunè malis esse licet , uti exurgat amico concordix nexu commendatum pub. utilitatis nomen , & florescat modestiæ culturâ , per quam cupiditatum & vitæ moderatricem pudor honestatis claram ac stabilem comparat auctoritatem. Magnitudo animi modesti in addendo , non demendo Reip. se prodit. Agi frenis & justitiæ morem gerere , hujus summa libertas

tas

tas est. In omni fortunæ censu præcipuum possidet, temperare vim suam ardoremque compefcere, ne increfcatur, sed piè gestiat successibus ad rationem revocatis, cujus certi fines, non ad vitiosam consuetudinem, cujus incomprehensibile arbitrium est. Alit insuper hæc conscientiam modestia, ex eâque spem suis promit cultoribus, quò solidam præclaræ actionis laudem sectentur, fidemque doceant famæ quam ambiunt, secundum Poëtam: *Esto, quod audis*. Modestiam autem famam neque à summis mortalium spernendam, & à Diis æstimari Annalium scriptor asserit. Conservat enim decus humanæ societatis, quam instruit, & munit auctario virtutum, quibus cum ipsi propior intervenit affinitas. In nulla fastuosæ pompæ studia consentit: demissos requirit possessores, qui Pythici memores oraculi se ipsos cognoscunt, & ambitionis re-

remoram superant. Luxum quoque & plus habendi sitim tollit, substituto temperantiæ censu, qui si apud antistites Rerumpubl. & subditos potior est, bone DEUS! quantæ felicitatis argumenta sup-  
 peditat? Sed versa rerum conditio est, ut plurimi nisi ad populares auras inanésque rumores pietatem colant, & repudiatâ conscientiaë gloriâ de alienis præmia fermunculis postulent: Decus, pudorem, corpus, (ut ille queritur) cuncta regno viliora habet ambitio, quæ turbat cerebrum, & in varias evocat imagines ingenia, multumque inter falsum & verum mediæ caliginis fundit. Nihil in liberis civitatibus hac ipsa foedius excogabitur; quòd libertatem eripit, ad quam omnis Heroum contentio festinabit, & immoderataë cupidinis veterno animos mancipat, quos deinde à virtutum fruge sterile-  
 scentes non compluit cœlestis in-  
 dul-

dulgentia. Mortifera in ipso limi-  
 ne intemperantia est, nullaq; non  
 avis relinquit *ad vimina plumas*, quæ  
 hunc audivit aucupem. Gravissi-  
 mus Romanæ luxuriæ objurgator  
 Crispus: Ubi, inquit, pro labore  
 defidia, pro continentia & æquita-  
 te lubido atque superbia invasere,  
 fortuna simul cum moribus immu-  
 tatur. Difficillima inter luxuriosæ  
 urbis oculos custodia pudoris est,  
 & hereditatis; illum voluptas in-  
 fidiosè decipit, petulanter vincit;  
 hanc ambitiosè concupiscit, pro-  
 digè effundit. Nulla incendia  
 flammis Ætnæ eructantibus, nul-  
 lum diluvium pares strages dedit.  
 Et fando sæpius auditum, & in an-  
 nalibus memoriæ proditum est,  
 cepisse *Trojam Danaos somno vinoq;*  
*sepultam*; succubuisse Milesiis deli-  
 ciis Spartam; periisse Campano  
 luxu invictum armis Annibalem;  
 translatum ad Medos Assyriam  
 Sardanapali gulâ. Vidit Antiqui-

D

tas

tas cadavera Carthaginis, Numan-  
 tiæ, Corinthi, Athenarum: doluit  
 posterior ætas tot illustrium ur-  
 bium ignobiles ruinas. Sinite me  
 præterire, A. (ne gravior memo-  
 riam luctus constriquet) novissima  
 Germaniæ funera. Luxus, (eheu!)  
 luxus meruit hæc dictu gravia,  
 perpeffu aspera. Expergiscimini,  
 ut exemplo sapiatis, malè feriat  
 mortales, qui libidinoso epularum  
 fastui servitis, & peragendis luxu-  
 riæ imitamentis ipsam noctem ad-  
 ditis, ne verecundiæ superfit tem-  
 pus; sed quod per diem concupi-  
 vit immodestia, per tenebras au-  
 deat. Ite, ite, qui profundo luxu  
 superbientes, in beneficum con-  
 ditorem vestrum calces jacitis; lu-  
 strate desolatam Bohemiam, affli-  
 ctam Alsatiam, destructum Pala-  
 tinatum, exhaustam Hassiam: cer-  
 nite quàm sobriam ad voluptatem  
 pauperis fortunæ illecebras deli-  
 bent. Tantum abest, ut pigritiam  
 super-

superbè nauseantis stomachi uspi-  
 am non exuerint, ut fere emittant  
 vocem sub Honorio quondam Ro-  
 mæ premente annonâ palam in  
 Circo auditam: *Pone pretium huma-  
 næ carni.* Adeò Zelotypo displicuit  
 Deo morum dissolutio, quam si  
 non excedunt, certè æquant aliî  
 enervatâ felicitate hætenus sopi-  
 ti. Sed & illis sua veniet dies, de-  
 liciis licet & divitiis hodie provo-  
 cent Ægyptios & Sybaritas.

*Felix nimium prior ætas,  
 Contenta fidelibus arvis,  
 Nec inertis perdita luxu;  
 Facili quæ sera solebat  
 Iejunia solverè glande,  
 Nec Bacchicâ munera nôrat  
 Liquido confunderè melle,  
 Nec lucida vellera Serum.  
 Tyrio miscere veneno.*

Dicam verbo, & dicam quod  
 res est; ad decus & libertatem nati-  
 dignitatem nostram infra infima  
 quæque detrudimus, non majo-



rum, ne quidem Ethnicorum virtuti pares, sed vitio præstantes. Injungebant curam ipsis erogandæ per honesta pecuniæ leges Orchia, Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Antonia: protrahi ad ebrietatem symposia vetabat lex Minois: conspectos publicè ebrios carceri tradebat lex Basilidis. *Nostri nunc mores nihil faciunt, quod licet, nisi quod lubet. Ambitio jam more sancta est, libera est à legibus, quibus consuetudo vim intulit, judicio Plauti Comitorum Principis. Quod si inter tot Heliogabalos, inter tot novos Apicios, tot variati luxus interpretes iterum exurgeret Censorius Cato, majori profectò jure miraretur, quàm abesset ab interitu civitas, in qua prævaleret æstimatio insolentis gulæ. Si non Hispo Romanus aut Vatinius Tiberiani sceleris administrator; sed Q. Haterius Senatum hodiernum ingrederetur, quàm acriter multis in lasciviam dictis, extor-*



extorqueret decretum, ne vasa argento & auro solida ministrandis cibis fierent, ne vestis Phrygia, holoferica, ne multitia viros fœderent? At vereor, ne callum duxerit blandum hoc malum, ut accusari faciliùs, quàm vitari possit; quoniam majores animi partes à virtute detorquet, & insolubilibus adstrictas retinet catenis. Non opes inexpletam restinguere cupidinem queunt, nec potestas sui compotes linquit, quos periculosissima felicitatis intemperantia effascinat. Actum ergò de Repub. quam vilescente modestiæ precio superba prodigalitatibus atque avaritiæ sollicitudo vexat; dum permultos lascivo ventri sumtus ex alienis quærunt malis ambitiosi heluones; posteaque nimium facultati propriæ confidentes, Socratis (quod ajunt) speculum abjiciunt, (ne voluptatis pœnitentia redeat) & ad Narcissi fontem infami sese præcipitio

78 ORATIO DE NOTIS  
pitio damnant. Virtutis calcar non  
patiuntur, aut recti lucem: stulto  
sui desiderio contabescunt. Quæ  
magna passim manus est, (quis ne-  
gabit?) si removeatur aulæum sce-  
nicum, & complicantur siparia,  
quæ fraudes publicas tegunt. Fi-  
dem ostentant probitatis in patri-  
am, sed posthabitâ nequaquam ra-  
tione quæstum, deparci Euclio-  
nes. Non secus ac Polus histrio no-  
bilis traditur ossa & urnam defun-  
cti filii clam intulisse Athenis fa-  
bulæ, in qua dolor esset repræsen-  
tandus, & vero theatrum gemitu  
luctûque implêsse. Iidem illi co-  
mœdiam ludunt, & velati personâ  
patriæ sua lugent nocumenta, suos  
ut augeant proventus, omnem mo-  
vent lapidem; præsertim si quæ pu-  
blici muneris species suppetit.  
Tunc se inundari videntes altissi-  
mo æstusuum Oceanum statâ mu-  
tatione repetituro, avido ore bi-  
bunt de istâ felicitate, eaque exutos  
solan-

solantur pristinae potentiae lucra in  
sequentis vitae securitatem duratu-  
ra. Perspicuum indicium violati  
ordinis, quem modestiae magistri  
sospitant, invigilantes civili bono  
abstinenter, ut alieno, diligenter,  
ut suo, religiosè, ut publico; quem  
docti per aliena experimenta cives  
obedientiâ stabiliunt, constantiâ  
prosperant; varietas verò imperitiae  
plebis, & tanquam tempestatum,  
sic sententiarum crebra mutatio  
damnosè distrahit. Etiam hinc nota  
desumitur fortunati regiminis, si  
inexpugnabilis & inclinatione  
quâdam mentium pronus in magi-  
stratum duret favor, in leges cura.  
Omnes mutationes cœdem, fugam,  
aliâque hostilia portendere scribit  
nobilitatae veritatis Historicus.  
Dimota naturali sede per violen-  
tiam membra, non nisi per eandem  
repetunt articulos suos; similiter  
civitas, quæ nudo & tolerabili gu-  
bernationis genere divertit, prius

80 ORATIO DE NOTIS

errorem multiplici miseriâ expia-  
bit, quàm antiquæ & à se projectæ  
rectitudini reddetur. Eximiè Po-  
liticorum vaferrimus indagator  
Tacitus, Semper, inquit, patriam,  
parentes, antiqua malle debent  
subditi, quàm dominos & colonias  
novas; & potiùs gloriæ & liberta-  
tis, quàm flagitiosæ servitutis du-  
cem sequi. Vetera enim novis, &  
quieta turbidis antehabere pru-  
dentia est. Piè decet optare bonos  
Principes, damnare verò temere  
nocentes religio est. Fallitur astu-  
tia de illorum Genio perfractè  
conjicientium; non tam ipsi se re-  
gunt, quàm moderantibus permit-  
tunt fati, quæ per eorum affectus  
sceptrorum inclinationes & incre-  
menta ordinant. Qui ædium altis-  
simarum substructiones & funda-  
menta salvis ædibus renovari posse  
existimant, graviora concussæ do-  
mus incommoda, quàm novæ mate-  
riæ beneficia consequuntur: quan-  
to ma-

to magis, cùm civitas quasi vetus & caduca domus diutissimè servavit eundem statum ? Testis idem est prudentiæ Magister, Optimos quosque tempore motus Reipub. curâ mœrere : multos odio præsentium, & mutationis cupidine suis quoque periculis lætari. Equidem abdicatis leviter rectoribus, legum quoque non idem manet vigor, nec idem honor. Augendi illas aut mutandi subvertit levitas, quæ salutem publicam averfatur, juxta vetus diverbium: *Non parcit populis regnum breve.* Dignus laude Solon, qui Athenienses, & Lycurgus, qui Spartiatas jurare in leges compulit; sed hic, quoad ex Apollinis oraculo reducem haberent, unde, ne jurejurando cives solveret, reverti noluit. Longè præstabilius credebant illi, legis conditionem, utcunque iniquam ferre, & paulatim non utendo antiquare, quàm invertere vel in con-

sultò abrogare. Sic Romani sensim exolescere plerasque leges XII. Tab. quàm subitâ tolli abrogatione maluerunt, ut cæterarum aliqua authoritas servaretur; donec Æbutiâ rogatione penitus auferri placuit eas ipsas vetustâ pridem oblivione sepultas, ne cuiquam peccanti deinceps fraudi essent. Sciendum tamen optimis auspiciis ea fieri, quæ pro communi bono geruntur, proindéque non culpabitur imperantium vicissitudo, si eam pub. requirat necessitas, quæ regulas juris non agnoscit. Contemptus magistratum & turpis desertio proxima sacrilegio est, quod corruptio sequitur. Et leges, quæ parvo momento mutabiles sunt, sine periculo communis utilitas approbabit. Temporibus assentiri aliquando oportet providos & cordatos moderatores, & obsecundare supremo juri, quod non Lycurgus aut Solon, sed ipsa ponit

nit natura, omniumque gentium confirmant instituta, uti legitima censeantur, quæ Reipub. salutaria. Apud Locrenses antiquitus rogationem laturus laqueum collo insertum gestabat, quo sibi gula frangeretur, nisi legem persuasisset publicè utilem. Præceps enim fugienda semper stultitia, quæ saluberrimas non diu patitur constitutiones. Doctissimè scriptum reliquit Ulpianus: In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum visum est. Intaminatam ergò Reip. gloriam designat stabilis animorum consensus, quem arcana Numinis virtus limitat, ne justimodum transeat, ne legem concordis modestiæ violet, nec perditissimos inconstantia motus diligat; imò quod maximum est, salvificæ fidei candorè ambiat. Inter alia enim, quibus populi fortuna continetur, religio eminent,

84 ORATIO DE NOTIS  
quæ conscientiam mentis guber-  
nat. Non regum, non subditorum  
sine hac officia succedunt : sine  
hac rupta omnis interit societas,  
quoniam sola virtutum agmen du-  
cens non humanis, nedum Simo-  
niis indiget artibus, ipsa sibi suffi-  
cit, ut in pub. prosperitatis stabili-  
mentum adolescat. Sine specie  
hujus nulla ruinam evitârunt im-  
peria, quantam igitur veræ illius  
vim creditis, cujus umbra sustinet  
hanc molem ? Legimus supersti-  
tionis philtro dementâsse subditos  
suos Numam, Scipionem Africa-  
num, L. Sullam, Q. Sertorium, Pi-  
sistratum, Zaleucum, Midam, qui  
Deorum congressus & colloquia  
mentiebantur : quanto efficaciùs  
solidam hanc vitæ regulam, hanc  
perturbationum gubernatricem,  
invictam mentis dominam, regen-  
di populos magistram ac artificem  
ingeniis imperare nostris, arbitra-  
mini ? Dicent religioni sacramen-  
tum



tum regnorum præfides, & ex hominis ethnici non ethnico monito ejus negotium seriò curabunt Scelus est, eâ, quæ non dependet à personato magnatum vultu, ceu Lesbiâ uti normâ. Dei hîc sese offert Majestas ad fidem & adorationem suspicienda. Nec tamen unius seculi labes est, quòd de pietate fatis multi loquantur; paucissimi vitâ exprimant, & à professione mores discordent: nec tam vile paupertatis mancipium fit, quin illustre fortiatur nomen, si semet callido religionis argumento supra probitatis aut nequitiae vulgus efferat. Ipsi illi, qui ad clavum sedent, nec suis sæpe legibus obtemperant, nec divinis credunt; sed flagitiis ad speciem rejectis, in id nervos intendunt omnes, uti libidinem & superstitionem gentis in venerandam sui admirationem inflectant. Histrioniam in hoc theatro præ cæteris egisse narratur Phi-

lippus Macedo, qui raptis Phoen-  
 censium sacris victos victoresque  
 religionis prætextu decepit. Sic  
 Antonium, Rubellium Plautum,  
 Virginium, & alios colorata Ne-  
 ronum perfidia oppressit. Quem  
 sacrum obtentum, ne acrius auden-  
 di telum monstret, detestabuntur  
 Christiani, committentque dege-  
 nerantibus hæc cuncta aulis impe-  
 riorum sophismata, quæ altas ni-  
 mis cum æterno nostro dedecore  
 agerent radices, nisi fidos daret  
 Laocoontas Deus, qui frustrentur  
 Danaum insidias. Enimverò per-  
 spicuae sunt abditi pectoris latebræ  
 & dissimulationum involucra con-  
 spectui divino, ad quem cœcu-  
 tiunt oculi plus quam Lincei, plus  
 quam aquilini. Exeant è cœtu fi-  
 delium, & Turcarum Muphtim  
 frustra in suam custodiam solici-  
 tent, qui tanti momenti negotium,  
 in quo salus animarum versatur,  
 insuper habent, & execrabili nun-  
 dina-

dinatione polluunt. Te potius sequemur, M. Tulli; Nihil fallaciter, nihil insidiosè, nihil simulatè agendum homini ad candorem, ad veritatem nato. Et certè totam naturæ dignitatem indiscrimen mittimus; titulo hominis usurpato, conditionem ejus negligimus, quæ brutis nos præfert, quæ sanctimoniam vinculo nos obstringit immortalis terrarum ac siderum Authori; Illi, qui hominibus sponte annumeratus, suâ nobis morte ad vitam iter sanxit. Si quis autem putat se religiosum esse (Apostolus loquitur) non refrenans linguam suam à malo; sed seducens cor suum, hujus vana est religio. Munda apud Deum hæc est, immaculatum se custodire ab hoc seculo. Non se habet Christianismus instar Protei, aut versatilis cothurni, quo subtilis ingenii procacitas ludit in persuadendâ seriæ novitatis insolentiâ. Si decus suam non perdet

perdet civitas, tuebuntur omnes &  
 singuli religionis simplicitatem;  
 abominati quicquid laborant ad-  
 struere pestiferi nugatores, qui  
 — *fortune in casibus omnia ponunt,*  
*Et nullo credūt mundum rectore moveri,*  
*Naturā volvente vices, & lucis & anni:*  
*Atque ideò intrepidi quæcunque altaria*  
*tangunt.*

Non erit nimia cautio circa cu-  
 ram conservandæ conscientiaë,  
 quæ in hac orbis tam multiplici  
 tempestate anxiiis fidissimum aperit  
 portum: extirpabitur gravissimi  
 erroris insaniens sapientia, quæ fa-  
 cilè sequacium hominum turbam  
 invenit; & prudenti suafu vincen-  
 tur erronei dissensus, ut infidiari  
 cum successu nequeat *indulgens sibi*  
*dirus hydrops*, ut obmutescant vena-  
 les linguæ; cedant candori perju-  
 ria, amicitiaë probra, doli, Punica  
 fides. Simplex pietas ultricem pec-  
 cati Nemefin propitiat; pietas spes  
 hominum secundat, & consilia;  
 quod

quod vetustissimas Sapientum voces docuisse nullum est dubium, cum severius nihil Trismegistus, nihil Sibyllæ concinuerint, cum ipso sacrarum literarum nihil æquè suffragio sanciat. Agite ergò, Viri Principes, (ad vos se mea vertet Oratio) qui Remp. vestram copiis abundantem, opibus potentem, gloriâ excelsam, virtute honestam probabitis, æternæ vos imperio legis in hoc volucris ævo submitte: innocentiae munimento velut Ægide Palladis pectora vestra armantes, ne Attalicis se adduci conditionibus patiantur, ut regiam justitiæ viam deserant, aut cum perversè callidis versutisque (quasi caput hoc esset civilis prudentiæ) aliud ore promptum, aliud intus clausum gerant; Cyri potiùs ex Xenophonte monitum imbibant, non convenire cuiquam imperium, nisi qui melior esset iis, quibus imperaret. Nemini injuriam

riam

90 ORATIO DE NOTIS  
riam inferte, quia expediat, cum  
expedire non possit: sævitiam aver-  
famini & rigorem, quem nulla  
molliat clementia; ne tamen in ali-  
quo legis vindicta cesset, cognatæ  
licet charitatis necessitudo, aut lar-  
gi fœnoris gratia interpellet: pacis  
strenuè consiliis insistite, cautè cre-  
dentes præsentis fortunæ, quam sæ-  
pissime frangit momentum mobi-  
lis horæ. Vidimus misceri funeri-  
bus triumphos, triumphis funera;  
vidimus Alcedonia & malacias in-  
opinato abrumpi turbine, & furio-  
sæ tyrannidis procellâ. Modestiam  
amplectimini, quæ luxuriantes  
animi mot<sup>9</sup> in ordinem cogat. Cui  
tandem hic (exclamat Orator) li-  
bero imperabit, qui non potest cu-  
piditatibus suis imperare? Refre-  
net priùs libidines, spernat volu-  
ptates, iracundiam teneat, coërceat  
avaritiam, cæteras animi labe re-  
pellat; tum incipiat aliis imperare,  
cum ipse improbissimis dominis,  
dede-

dedecori ac turpitudini parere de-  
fierit. Arquatis non nisi luteum co-  
lorem exhibet læsa videndi facul-  
tas; eodem modo luminibus sani  
iudicii officit affectuum impoten-  
tia. Insigniant tribunalia vestra vir-  
tutes, quæ laudem demereantur,  
qualem Romani, cum res illorum  
viribus flourerent virisq; , ut vincat  
sententia, non quæ prior, sed quæ  
melior. Famæ magnum, conscien-  
tię maximum ducite precium, quia  
eam verberantes in seipfos latroci-  
nantur. Religionem colite, pro-  
movete, defendite non regnantib<sup>9</sup>  
commodam, sed ex vero salutis  
fonte sollicitis necessariam, jucun-  
dam, perutilem. Non invidebitur  
saluti vestræ, quæ ex pio regimine  
splendeat. Concludo cum Trajani  
Encomiaste; Egit cum Deo, vobis  
ipsis authoribus, Respublica, ut  
vos incolumes sospitesque præsta-  
ret, si vos cæteros. Sin contra, Ille  
quoque à custodiâ corporis vestri  
oculos

92. ORATIO DE NOTIS  
oculos dimoveret, & vos relin-  
queret votis, quæ non palam sus-  
cipiuntur. At vos quoque officii  
partes absolvite, quos in spem me-  
liorem genitos nondum ætas libe-  
rat, quosque ordinata vitæ ratio in  
gyrum civilis obedientiæ vocat:  
moderamini animos ad hæc maxi-  
mè, quæ immoderatè fertis, & in  
metus & dolores dispensate, ne  
florem ingenuæ libertatis destru-  
ant in glorio vitiorum mancipio.  
Sentietis ipsi quid lædat verecun-  
diam ætatis vestræ, quidve repu-  
gnet auspiciis intonsi Catonis. E-  
rudiat se quisque ad justitiam, ro-  
boret ad concordiam, præparet ad  
modestiam, instruat ad pietatem.  
Quæ voluptuosæ dignitatis speci-  
em ferunt turpissimæ propinqua  
sunt pœnitentiæ & occasui. Hoc  
privilegium navibus atque qua-  
drigis persequemini, hâc palmâ  
nobili superbietis, uti integros di-  
vinæ beneficentiæ vos fervetis. Sin  
bonæ



bonæ mentis veremini dispendia,  
 non differte luctam, cui sancto-  
 rum favet conatum Spiritus. Sic-  
 ut ad pœnam sufficit meditari pu-  
 nienda; sic & ad laudem satis est  
 conari prædicanda. Molestam ta-  
 men præstat abjecisse cum Crate  
 Thebano sarcinam, ut planior ad  
 æternum decus via pateat. Id vo-  
 bis ad famam honorificentius, ad  
 spem stabiliendam firmiter, ad exi-  
 stimationem erit dignius: id glo-  
 riam incorruptæ Reipub. ad stupo-  
 rem peregrinantium extollet, &  
 vos cœlestis regni concives è sacra-  
 rio momentanei honoris trans-  
 ponet in felicitatis illud  
 æviternum.

D I X I.



AD-



AD VIRUM PRINCIPEM  
EXHORTATIO,  
Et hujus  
POLITICÆ ORATIONIS  
COMMENDATIO.

**A**ccipe quo cives, & quo, fortissime  
princeps,  
Incolumem patriæ te tueare ducem.  
Natorum obsequium poteris sperare,  
paterno  
Imperio populum si moderare tuum.  
Præsidiumque tibi certum promitte, si-  
demque  
Bellantum juvenum, si Numa, Cæ-  
sar, eris.  
Cujus ut imperii tibi sit certissimus index,  
Clara tibi aureolus dat documenta  
liber.

A. ÆMILIUS.



SCAZON

AD D. AUTHOREM

JUV. ERUDIT.

**D**ECUS parentis, & tuæ decus  
BREMÆ,  
Facunde ALERSI, qui novam fa-  
cis doctus  
Cathedram loquentem, Tulliúm-  
que crescenti  
Donas Lycæo vesticeps, & exem-  
plum  
Mox æmulorum, quin studentium  
vulgus  
Hac arte cogens, gratulor juven-  
tuti  
Ad magna natæ, jam Scientiam  
natam  
Prudentiamque, vix tamen pilis  
natis.  
Hinc illud omen. Nobilem suis  
reddet,  
Et universo, qui, bonæ litans men-  
ti.

Ge-

Generosum honestum concoquit  
sui iudex;  
Exordiúmque nobilis viri sumit  
Sapuisse docte. Nobilis regit vere  
Prudens sciénsque, cui comes meat  
virtus.

L. NYENDAEL. J. U. D.



HENRI-

HENRICI ALERS  
O R A T I O

AD ENODANDAM

QUÆSTIONEM,

An Ratio Status non ferat Magi-  
stratum præfractò rectum?

*In Brabeuterio Academico*

Dicta

B A S I L E Æ

A<sup>o</sup>. M<sup>o</sup>. C<sup>o</sup>. XLVI.

HENRICI ALIENS

O R A T I O

AD ENCHIRIDION

QUESTIONUM

An Ratio Status non sit Magi-  
stratum praesens reseruit

In Praesentia

Dicitur

R A S I E

Ac. cl. c. c. c.



*Magnifice Domine Rector, &c.*

**R**eracutè cū primis  
& eleganter Roma-  
næ parens eloquen-  
tiæ, Semper, ait, offi-  
cio fungitur utilitati  
hominum consulens  
& societati. Quod axioma si pene-  
tret animum, cujus magnitudo ni-  
hil ad ostentationem, omnia ad  
conscientiam refert, pondus suum  
egregiè tuetur. Periculum verò  
est, ne vi omni & successu privetur,  
si corrupti interpretis arbitrium  
incurrat. Etenim non ab uno secu-  
lo hæc mundi scena vertitur, ut ad  
omnes bene audiendi partes com-  
parati credantur, & in honestio-  
rum proscenio liberiùs prodeant  
homines ad demerendum applau-  
sum sagaciores. Infrequens illo-  
rum exemplum est, qui, dum for-  
tem inanem choragii procul habent,

100 AN RAT. STAT. NON FERAT  
gratis simul, & ex præscripto ju-  
dicii præfunt. Laudem profectò  
suam sibi vindicat in proximi emo-  
lumentum efficax industria, & ab-  
jectæ prorsus animæ character est  
vecordia nec propriæ nec alienæ  
felicитatis sollicita. Facile autem  
virtutis splendorem obfuscat, imò,  
si reipub. negocium subest, turpis-  
simum nocendi artificium porten-  
dit inconueniens utilitatis prætex-  
tus. Multi enim, quorum ingenia  
intra metam nescio cujus scientiæ  
damnata caligant ad utilioris pru-  
dentia lumen, suo se officio plenis-  
simè defungi existimant, cùm aliis  
inerviunt, licèt noxia inerviendi  
methodo peccent. Plures in spe-  
ciem utilia meditantur & callido  
deflexu offerunt, ut ipsis etiam ac-  
cipientibus securè imponant. Hæc  
igitur siue ignorantia siue malitia,  
quæ utilitatis titulo abutitur, justi-  
tiâque pessimo divortio semovet  
in variæ calamitatis femina adole-  
scit.



MAGIST. PRÆFR. RECTUM. IOI  
scit. Interim solus ille probatum  
officii testem habet, sibi que melio-  
ris fortunæ faber est, qui à suspecto  
virtutis temperamento abstinet,  
quódque rectum est, vel utile, non  
dispari censu amplectitur. Quo  
ipso cum singulorum, tum maxi-  
mè eorum, qui in summis subselliis  
habitant: qui in luce civitatis, in  
oculis omnium personam agunt,  
illustrior semper conditio fuit. Un-  
de nimis meo puncto audacter do-  
cet non nemo politicorum: *Prin-  
cipem sive Magistratum non debere præ-  
fractò rectum esse.* Fortè quia *Ratio  
Status*, uti vocant, persæpe jubeat  
frontem remitti, aut iniquitatis  
metum deponi. Sed periculosa hæc,  
Auditores, & rectiùs sentientium  
calculo indigna philosophia est;  
adeóque nec vestro illa palato sa-  
piet, si, quid intuitu status publici  
Magistratum deceat, quidve dede-  
ceat, breviter hîc edifferenti hu-  
manissimæ attentionis gratiam.

102 AN RAT. STAT. NON FERAT  
commodaveritis. Extra omnem  
dubitationis aleam ponitur, ma-  
ximum esse probitatis momen-  
tum, maximum quoq; prudentiæ;  
cùm illa inter omnem fortunam  
prosperam & adversam rectà ince-  
dat; hujus verò tanta in rebus agen-  
dis appareat autoritas, ut sine ea  
probitas ceu palabunda erret, nec  
honesti aciem attingat. Quæ causa  
est, cur omni ævo, qui celsioris or-  
dinis & elegantiae notâ præstite-  
runt, mortalitatis haut immemo-  
res nihil ultra fortem sapere, inque  
hac perpetuâ vitæ fabulâ vel pru-  
denter connivere, vel comiter er-  
rare maluerint. Inveteratam sci-  
licet fori consuetudinem ignorant,  
qui anxii diligentiae studiis pur-  
puram suam tuentur, & continuato  
supercilio severi sunt. Ex digni-  
tate mores instituere, & fortunæ  
suæ accedere, præcipua Magna-  
tum laus est, quam nisi blandimen-  
tis muniant, securè non possident.  
Mul-

Multa, imò multa evenire solent, quæ liberalioris censuræ indigent, ne expectationem publicam frustrentur. Et hinc honestatis regulâ abutitur politicus, qui nimiam suam fiduciâ illam expendit omnisque licet inoffensi flexus impatientem censet. Humanæ sapientiæ non infimam partem dicit Philosophus, quædam æquo animo nescire velle. Utilius quippe ad spem compendii, & honorificentius ad famam creditur, aliena subinde auspicia sequi, & proprio remigio parcere. Nam quæ liberè possumus, non eadem commodè peragimus, quòd peracta sepe gratiam perdunt & utilitatem. Vera ratio tum hominum ipsorum, tum rerum ac temporum initur. Vix utilius constitit imperii diuturnitas, quæ non debuerit prudentiæ ex seculi moribus compositæ. Proindeque sui memoriam perenni encomio ad posteritatem deduxe-

104 AN RAT. STAT. NON FERAT  
runt, qui innocenti gloria omnem  
ambitum reipub. donantes, oportuno  
disfimulandi remedio sceptrorum  
invidiam declinârunt, animûmque  
in extrema quæque proclivem  
moderationi aperuerunt. Et imò si  
opibus, gemmis, cultu, imaginibus,  
satellitio, quibus singulis procerum  
vulgus intumescit, imperantium  
splendorem metimur, certius eorundem  
in congruo imperandi iudicio præ-  
sidium ponimus. Nec tamen umbratilis  
ludi argutiæ suffecerint, ut absconditam  
boni civilis indolem monstrent; propitio  
magis cælo nati sunt, qui callidioris ævi  
circum infracto pectore transeunt.  
Errat, quicumque integritatis hîc  
& justitiæ negligentiam subaudit.  
Fidei semper & veritati litandum;  
sed in gravissimis non inhonesta  
plerumque nec illaudabilis hallucinatio  
est, si leges historiæ paulum negligantur.  
Cùm pub. utilitas,

MAGIST. PRÆFR. RECTUM? 105  
litas, cùm salus populi suprema  
lex sit, intrepidè statuemus, sine  
peccato perfici, quæ communis e-  
molumentum & tranquillitatis ma-  
teriam fovent; dummodo hæc præ-  
scriptio, hæc aurea mediocritas te-  
neatur, ne quid justitiæ numen vel  
conscientiæ rectitudinem offendat.  
Hoc sensu A. dominationis arcana,  
& rerum pub. figmenta, quæ Ratio-  
nem Stat<sup>9</sup> investiunt, honestati vi-  
cina & virtuti, non indecenter u-  
surpat Magistratus. Neque enim  
ille versatilem animum in diversa  
componet, & motus affectusq; in  
speciem induet sine sedula austerâ-  
que industria, & summo in suas  
cupiditates imperio; ut facilis con-  
jectura sit, quæcunque amplecti-  
tur tanquam jucunda, suspicit tan-  
quam splendida, sequitur tanquam  
utilia, legum metu & religione  
temperari. Fraudis quidem hoc  
& damnatum temeritatis imita-  
mentum videbitur imperitiæ mul-

106 AN RAT. STAT. NON FERAT  
titudini, cujus intellectui externa  
rerum pulchritudo fucum obducit,  
ut omnia demiretur impensius,  
quæ cum strepitu copias suas ex-  
plicant. Sed quando ea, quæ ca-  
sus obtulit in sapientiam vertenda,  
& vis surgentis undique flammæ  
modicum intra damnum coërcen-  
da, arte opus est, quam multiplici-  
ter illi exercent, quibus de melio-  
re luto finxit præcordia Titan. Ex  
hac porticu comparent, qui effectu  
consiliorum potituri juxta Tullia-  
num effatum multa dissimulant in-  
viti dissimulantque cum dolore.  
Quo pertinet illud Taciti: Patri-  
bus erat unus metus, ne intellige-  
re viderentur. Singulari videlicet  
sagacitate assequi nitebantur, quod  
rerum angustia negabant. Per-  
quam appositè disertissimus histo-  
ricorum Livius scribit: Comitibus  
Tribunorum militum patres sum-  
ma ope evicerunt, ut M. Furius  
Camillus crearetur, sed rogationi  
Tri-

Tribunitiæ adversarius quæreba-  
 tur. Sic est: stabit Magistratus ve-  
 lut in orbe quodam reipubl. qui  
 cum periculosè versatur, eam de-  
 liget partem, quam certior salutis  
 spes ostenderit. Nec eo ipso vir-  
 tutem vitio miscens veræ & dire-  
 ctæ rationis Palladium deferet.  
 Prudentis saltem Palinuri instar  
 in turbido hoc rerum humanarum  
 pelago sinus obliquabit, & si hac  
 via non profecerit mutata velifica-  
 tione portum inveniet. Tollatur  
 istud evitandæ tempestatis refugi-  
 um, & vix ulla pacis serenitas afful-  
 gebit. Resistat conniventia aspe-  
 ritas & morositas inconcinna gra-  
 visq;, & fortiora principatus ful-  
 cra, obedientia nimirum & cultus  
 subito deficient. Non agnoscimus  
 eam temporis faciem, quæ nævis  
 careat: in hortis Tantaliiis, in idea-  
 rum regione quæretur omnibus  
 numeris absoluta natio. Insupér-  
 que rectoribus vita hæc opus ha-

108 AN RAT. STAT. NON FERAT  
bet, qui animo heroico frenos im-  
ponant, & ingenium leniter infle-  
ctant ad mores & captum populi,  
qui varii generis turbis & mole-  
stis laudatæ calliditatis interven-  
tu medeantur. Verùm enim ve-  
rò exigua virorum ad hoc exem-  
plum seges deprehenditur, tantum  
abest, ut metuendum habeamus,  
ne plures ostracismi vel petalifini  
condemnet virtutis exuperantia,  
quæ Atheniensibus olim & Syra-  
cusanis displicuit. Obsident diu  
spes mortalium fugitivæ felicitatis  
simulacra, & miserè eludunt, non  
secus ac illos, qui in specu Plato-  
nico vincti desident, inanis rerum  
umbra effascinat. Varios ingenio  
diversis obsequiis mitigare: sub  
ornata benevolentiae materia inte-  
gritatis famã amorisq; in rempub.  
titulos ambire, politici laboris &  
voti præcipua pars est. Eó pericu-  
lum & operas collocant perpauci,  
unde omnium prosperitas descen-  
dit.



dit. Sed carâ illâ (regerat aliquis) & patrimonium destruyente sollicitudine post Curios fortè & Fabricios nemo inclaruit, & à veræ humanitatis & magnitudinis classe excludi nequit familiaris lucri non indiligens autor. Omnino nequit; modò plebis causam diligentia suæ connexam velit, qui in illustri fastigio conspicitur, cujus imprimis commendat majestatem indefessa subditorum cura. At prò dolor! scenæ famulantur plerique terrarum domini, & ut affabrè Satyricus, cum universo orbe exercent histrioniam. Foris ad optimorum similitudinem se componunt, & mox secreti licentiam nacti personam exuunt, veluti Lamiaë, quæ domum reversæ exemptiles oculos abscondunt. Immane quantum hoc turpitudinis invitamento nocent infelices illi imperiorum artifices populari auræ & legum custodia insidiantes! Nempe suc-

110 AN RAT. STAT. NON FERAT  
crescit adulatio fidei ac libertatis  
fuco personata, & é præsidio suo de-  
jicit augustam illam rationem, quæ  
crimina & innoxios discernit, quæ  
nec pravè facundos, nec superbè  
divites moratur dum vitiorum ex-  
probramenti indulget. Claustro  
veriùs quàm clavo reipub. idoneos  
-putarem, qui tam fœdè obliterati no-  
minis Deæ illius, cujus auspicio &  
veluti vicariâ fide præsent specie  
juvandi per cuniculos oppu-  
gnant. Excusatiùs delinquerent,  
si breves inducias libidini pacisce-  
rentur, ne carceribus erumperet nisi  
si signo dato, nec dedecoris sui no-  
xia passim vestigia figeret. Hic  
mihi ogganniunt purpurata aulæ  
mancipia, salvo Status axioma-  
te absq; subsidiaria vitiorum cohor-  
te non administrari Magistratus  
provinciam. Et hanc antiquitus  
politicam Hispo Romanus Tybe-  
rio, Vatinius quidam Neroni per-  
suasit. Abominando certè exem-  
plo,

MAGIST. PRÆFR. RECTUM? III  
plo, cūm nihil minū, quā pec-  
candi com meatum & Sinonias ar-  
tes felicioris imperii natura patia-  
tur. Scelestā cheu! & ter scele-  
sta vox est: Sanctitatem, pietatem,  
fidem privata bona esse; illuc eun-  
dum regibus quā iuvat. A quā pa-  
rum abscedit illud Euphemi apud  
Thucydidem: Viro aut Urbis  
Principi nihil iniustum, quod fru-  
ctuosum. Sanctiū & verē supra  
sexum sensit Livia Augustum sic  
allocuta: Oportet te nihil facere  
per injuriam: sed nec omnino fa-  
cere videri. Nam privatis quidem  
hominibus satis est, nihil delinque-  
re; Principib' ne quidem suspectis  
esse licet. Sanē majora populus  
semper à summo exigit, in eoque  
tanquam in speculo salutis suæ aut  
interitus initia notat. Fatali quip-  
pe excidio ac tumultui proximus  
est concreditæ potestatis abusus,  
qui intimis subditorum questibus  
tegitur. Nemo unquam sycophan-  
tarum

112 AN RAT. STAT. NON FERAT  
tarum insultus imitari potuit sine  
periculo occulti sermonis & suspi-  
catis silentii, quod seditionis præ-  
sagium an fomentum dixerò, nihil  
interest. Malitiosè itaq; calumni-  
antur Rationem Status, qui omnis  
ævi βδελύγματα & vibices publicas  
effreni fastu præferunt, qui infames  
scelerum blanditias exoscu-  
lantur, nequaquam solliciti, quid  
sanæ mentis autoritas præscribat.  
In libris abrogatarum legum refe-  
runtur lex Ælia Sentia, Junia, &  
Norbana. Hi sunt illi ipsi, qui petu-  
lanter abolenda judicant tria juris  
præcepta. Vetus hæc, fateor, que-  
rela est, sed quæ renovatis quoti-  
die lacrymis nostra fit, ut justè cum  
Tragico vate exclamem:

*Neglecta terras fugit & mores feros  
Hominum cruenta cæde pollutas manus  
Astræa virgo, siderum magnum decus.  
Cupido belli crevit, atq; auri fames,  
Totum per orbem magnum exortum est malum  
Luxuria pestis blanda: cui vires dedit,  
Roburq; longum tempus, atq; error gravis.  
Collecta vitia per tot ætates diu  
In nos redundant, seculo premimur gravi.*

No-

Nolim (quod doloris continuatio  
 memoriæ affatim suggerit) am-  
 pliori contextu numerare desola-  
 tas regiones, vastatas urbes, deje-  
 ctos proceres, afflictos cives. Adul-  
 terata politici respectus necessitas  
 talem proventum distribuit. Unus  
 asperiora moliendi non ignobilis  
 prætextus, illa dulcissimi nominis,  
 uti prædicant, ab longo tempore  
 recepta libertas, assensu nimio &  
 veniâ invaluit. Videor mihi audire  
 plerasq; Europæ gentes Quintii  
 Consulis Romani verba hæc do-  
 lenter imitantes: Sub titulo æquan-  
 darum legum jura nostra oppressa  
 tulimus & ferimus. Dicam pau-  
 cis, & dicam, quod tristis experien-  
 tia loquitur: Tot fallaciis pallia-  
 ta judiciorum corruptela, quâ pro-  
 tinus evilescit majestatis reveren-  
 tia, in communis infortunii aucta-  
 rium cessit. Eant nunc, qui adula-  
 torum lenociniis obnoxii in tribu-  
 nalibus superbiunt, & irascuntur  
 inno-

114 AN RAT. STAT. NON FERAT  
innocentiæ, nihil metuenti auri-  
culas teneras mordaci radere vero:  
ostentent fructus versipellis astu-  
tiæ, quæ dominationis flagitio co-  
hæret. Nusquam regna & fasces  
insolentis fortunæ ludibrium pro-  
pitiat. Quæ asscitiio splendore  
oculis humanis imponunt, fugacia  
sunt, caduca sunt, bractea sunt.  
Sola & unica virtus, quæ affectibus  
ratione imperat, & periclitantes  
ingenii motus in ordinem cogit,  
æternum cuiusvis peculium est.  
Demus hominem masculo spiritu  
infirmum, & ob multijugæ scientiæ  
dotes extorquendæ benevolentia  
potentissimum, qui vel arbitrio i-  
pſius invidia sit *ια τῆς ἀνῆς πολλῶν ἀν-  
τάξις ἄλλων*, si religiosa juris obser-  
vantia defecerit, elusoriam poten-  
tiæ imaginem possidet. Quocir-  
ca angyrin movent, ut est in pro-  
verbio, & alterius ambitioni tur-  
piter gratificantur, qui à Principis  
sive Magistratum requisitis præ-  
fra-

MAGIST. PRÆFR. RECTUM. II §  
fractam honestatem excludunt,  
noxio planè suffragio & errore, vel  
rectiùs infaniâ. Equidem in tem-  
poris ac morum examine sollicitum  
esse, optimi & prudentissimi cuius  
que officio continetur, quod tamen  
conscientiæ religio indefinenter  
occupabit, ne quid gratiæ seu for-  
tunæ mutuetur. Fortiter Achæo-  
rum ille Prætor. Veremur, inquit,  
vos, Romani, & si ita vultis, etiam  
timemus, sed plus & veremur, & ti-  
memus Deos immortales. Audiant  
hoc, qui é summo culmine tutelam  
boni & æqui pollicentur, quosq;  
speciosæ voluptatis oblectamenta  
& lenocinantes linguæ circum-  
strepunt, ne, dum vitia subducunt,  
fructu illorum utantur, intèr q; in-  
jurias opinionem justitiæ affectent.  
Nesciunt hanc imposturam magni-  
ficæ Platonis sententiæ, divina Ari-  
stotelis oracula, præcepta Socratis,  
Epicteti, Senecæ: detestatur hæc sce-  
lerû involucra utriusq; Testamen-  
ti pa-

116 AN RAT. STAT. NON FERAT  
ti pagina, in qua nos ab Ethnicismi  
fordibus vindicati universon legi-  
mus beatioris vitæ negocium, &  
solidiùs erudimur, unde curæ no-  
stræ & cogitationes instruuntur,  
sustententur, corrigantur. Ferunt  
Tyrtaei poëtæ versus inflammandæ  
Spartanorum fortitudini mirificè  
conduxisse. Longè efficacius ani-  
morum solatium ex hoc salvifici  
verbi sacrario provenit; in eóq; ex-  
plorata iudicii humani acies omnè  
peccandi artem ejurat. Post hanc  
ejuratam gloriosa cujusvis officii  
ratio est, imperantiúmq; & paren-  
tium reciproca fidelitas: sejun-  
guntur à pactione servitutis aut i-  
gnominie consilia: festinant in aug-  
mentum egregii publici expedi-  
tiones insidiarum vacuæ: nascitur  
securitas, quæ nihil in recessu mi-  
natur: desinit luxuriantis lætitiæ  
vanitas: omniúmq; labores & su-  
spira solantur redintegrati reditus  
auspicatissimæ pacis.

D I X I.




HENRICI ALERS

DE

RESCRIPTO GRA-  
TIAE

APHORISMI.

imi  
gi-  
&  
o-  
ur,  
unt  
dæ  
icè  
ni-  
ici  
x-  
né  
nc  
cii  
n-  
n-  
i-  
g  
i-  
ur  
i-  
æ  
l-  
is



## PRÆLUDIUM.

**D**IGNUM Majestate Imperatoria effatum  
prodit l. 14. C. de pœnis: Quod non facile re-  
mitti pœnam, publicè interfit, ne ad malefi-  
cia temere quisquam profiliat. Consentit l. 70. §. 5.  
ff. de fidejuss. nec longè disfidet illud Poëta:

*Veterum ferendo injuriam invitas novam.*

Et Iustinianus Novell. 88. c. 1. Omnino, inquit, sola  
delictorum prohibitionem nos contentos esse non oportet:  
sed etiam timorem inferre justum transgressoribus.  
Exempli quippe vis ista maxima, & quos ad  
vita decora domestica laudis argumenta non provocant,  
correctionis sæpe medicina compellit, l. 1. C. de  
emend. propinq. Solida autem constat pax & felicitas,  
si malis hominibus provincia careat, quod elegantissimi  
legis 13. ff. de offic. Præs. Ulpianus cuiusvis Magistrati  
inculcat. Nec tamen in obscuro est, moveri non semel  
Principem supplicantis rei precibus, ut beneficium  
remissionis criminum, quod RESCRIPTO GRATIÆ explicatur,  
haud gravatim indulgeat. Nam quicquid nocens reus  
pati meretur, id egregio sub Principe statuendum non  
esse, scitè Thræseas dixit: Et alibi Claudianus:

————— ignoscere, pulchrum,  
Iam misero, est, pœna quæ genus, vidisse precantem.

APHO



## APHORISMVS. I.



**S**UPPLICATIONIS terminus & finis ostenditur Rescripto, quo Princeps pro lato libello respondet atque rescribit, unde & nomen sortitur *l. 19. §. 9. ff. locati. l. 23. ff. de usu & usufr. leg.* Et quidem omne Principis responsum non inconditè Rescriptum appellaveris, licèt propria magis significatio id saltem denotet, quod secundùm jus commune sollicitantide jure suo respondetur, pertinètque ad justitiæ executionem. Quod genus Rescripti ut à legibus, mandatis, pragmaticis sanctionibus, privilegiis & beneficiis Principum distat, sic & propositi thematis differentiam inducit.

II. Rescriptum verò hoc Gratiæ, de quo impræsentiarum differetur, nihil aliud est, quàm remissio criminis

120 DE RESCRIPTO  
criminis reo supplicanti contra jus  
commune literis Principalibus  
confirmata.

III. Idq; ipsum à quovis magi-  
stratu impetrari nequit. Nam pe-  
nes solum Principem summa Re-  
galium majestas residet, ad eumq;  
spectat restitutio & pœnarum irro-  
gatarum relaxatio sive abolitio, *l.*  
*7. & 10. C. de sentent. pass. l. 4. ff. de pœ-*  
*nis.* Illi soli concessum est, senten-  
tias judicum revocare, non verò i-  
p̄s judicibus, qui post dictam sen-  
tentiam partibus suis sunt defuncti,  
*l. 55. & l. 62. ff. de re judic. l. 45. §. 1.*  
*eodem. l. 27. ff. de pœnis.*

IV. Sanè vel temperamentum  
pœnæ, quæ à legis, aut consuetu-  
dinis vi dependet, judicantium ar-  
bitrio non committitur. Conscios  
enim se ostendunt criminis, qui  
vindictam ejus segniùs perfequun-  
tur, *l. 2. in fin. C. de commerc. & mercat.*  
junge clausulam sanctionis Impe-  
rator. *Nulli hereticorum &c. sub tit. C.*

ne

*ne sanct. baptism. iteretur.* Hinc Caroli I. Siciliae Regis jussu suspensum fuisse judicem ferunt, quod homicidam amputatione manus tantum punierat. Nihilominus in promptu est cauto judici refugium, si causae gravitas mutationem solitae coercitionis suadeat. *l. 3. C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 11. in princ. ff. de poenis. gloss. in l. 13. ff. eod. cum & transgressio juris communis reprehendi per saepe non debeat ex testimonio Jctorum ad textum insignem l. 30. ff. mandat. l. 51. §. 2. vers. multa autem ff. ad L. Aquiliam. juvat arg. l. 6. §. 9. ff. de injust. rupt. irr. testa.*

V. Aliis igitur inferioribus à Principe, licet in civilibus auctoritate quadam praevalcant, poenae tamen capitalis remissionem (nisi hoc fiat virtute specialis privilegii & concessionis) largiri non est integrum, uti docent DD. *ad d. l. 4. ff. de poen. & d. l. 45. ff. de re judic.*

VI. Indéque generalis Rega-

F

lium

lium permissio ( quia eam non comitantur reservata Principi ) & merum mixtúmve imperium eoque non operantur in Vasallo, nisi hoc nominatim investituræ loquatur tenor, qui tamen præjudicio non erit investientis successori. Multa nimirum speciali intellectu convalescunt, quæ in genere legibus adversantur. Huc facit, quod Ictus innuit *in l. 4. §. 4. ff. si quis caution. in judic.*

VII. In defectu expressionis privilegii particularis sufficit, si acquisitio Principalis tituli (qualis est Ducis, Marchionis, Comitis) cum permissione meri & mixti imperii & omnimodæ jurisdictionis in persona feudatarii concurrat; sic enim facultas emittendi Rescripta Gratiæ simul translata videtur, siquidem eo casu in suis cuique terris plenissimè patet supremæ potestatis exercitium.

VIII. Cùm autem beneficium  
hoc

hoc solam Principis vocem ordinariè desideret, cavendum serio, ne, quod tantæ dignitati minùs convenit, indulgentiæ facilitas suadeat, unde proluxa peccandi illecebra nasci solet, teste Cic. in orat. pro Milone, cui assistit l. 20. C. de furt. §. 8. Instit. de obligat. quæ ex delict.

IX. Clausula itaq; , ex qua Rescripti robur colligi ait Zeno Imp. est: *Si preces veritate nitantur. l. ult. C. de divers. rescript.* Nec insolitus ille Principibus est terminus: *Si apparuerit, l. 3. C. de transact.* Si vera sunt, quæ precibus complexus es, l. 13. eod. Diplomata videlicet falsis causis nixa non subsistunt, c. *super literis x. de rescript. Dd. in l. 2. C. si contra jus vel utilit. publ.* sed detecto subrependi studio efficaciam omnem perdunt; quamvis expressionem conditionis, cum subesse illa semper credatur, Jus Pontificium non exigat. c. 2. x. d. t.

X. Equidem purpureæ subscri-

F 2

ptio,

ptionis solennitas (de qua *in l. 6. C. de divers. rescript.*) diu evanuit; ut suâ tamen muniatur formâ Rescriptum, hodierna quoq; vult necessitas. Fidem verò in sigillo Principis & manu ponimus, habita simul ratione causæ, & temporis, quo beneficium remissionis prodiit *l. 3. & 4. C. d. t.* ut difficiliùs lateat falsitatis artificium.

XI. Judicis deinde officio continetur, intimationis, aliorumque solennium, quæ forsan in diversis curiis differunt, non oblivisci, ne præjudiciis rempub. prostituat. In rebus enim arduis festinare, temeritatis argumentum præbet, & prope abest à crimine, vigorem placiti Principalis obiter intueri.

XII. Proinde quoties aliquod Rescripti vitium apparet, è re futurum autumo, prudenter anniti, ne illud inconsulto Principe ex prima oblatione valeat. Affectus enim, qui rationi inimicus est, & sanio-



sanioris regulæ successum impedit, præcipiti animos alienæ calamitatis sensu tangit. Unde consequitur, ut & à iudicio nonnunquam discordet effectus, quòdque prodesse celeris conjectura credebat, experimento inveniatur inutile. Meliora verò producit incorruptis instructa consiliis voluntas, quæ, si in aliorum, certè in capitalium delictorum remissionibus examinabitur.

XIII. Quod si tamen flecti Princeps recuset, nec tam rectiùs sentientium iudicio calculum addidisse, quàm propriæ autoritatis vires urfisse, in partem gloriæ trahat, iudex subsistet, & mandati summam cautò attendet. Quoniam de decretis iudicare Principis, periculo non vacat; & sacrilegii instar habetur, dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator, *l. 3. C. de crim. sacrileg.* Denique non omnis seculi facies laudat, quod priscorum monumentis accepimus Ægypti placuif-

cuisse Regibus, sub jurisjurandi religione cuius Magistratui injungentibus, ne mandatorum iniquitati obtemperarent; sive illud, quo posteritatis applausum meruisse traditur tertius Asiæ Rex Antiochus, qui singulis regni sui urbibus per interpretes literas præcepit, ut, si quod ipsius nomine scriptum prodiret injustius, hoc tanquam supposititium nihil pensi haberent.

XIV. Intellige hunc Regalis præeminentiæ characterem esse, quòd invito jure communi Princeps Gratiam impertiri solet ex causa, cujus rationem impunè tacet; cum nemo aliàs peccantem possit coërcere, *argum. Novell. 23. cap. 2.* Nam vim legis non veretur, cui illa non est posita actionum norma & directrix.

XV. Ad hæc sciendum, quæ solita Magistratus interpellatione sortiri finem possunt, Rescripto Gratia regulariter non expediri; abuti-

abutitur enim hoc nomine, qui ultra gravissimam vitæ aut corporis pœnam extendi debere implorationem remissionis persuasum habet. Maxima eorum commiseratione ducimur, qui sanguinem suum redempturi supplicant, *argum. l. 2. ff. de recep. l. 1. ff. de bon. eor. qui ante sent.*

XVI. Alia quoque ratio criminum est, quorum enormitas sine notabili Reipubl. detrimento pœnam non evitat: quo ordine veniunt crimina læsæ Majestatis, proditæ & expilatæ patriæ, violentæ Veneris, Sodomiticæ fœditatis, incendii, assassinii, &c. Hisce condonari velle pudorem Principis onerat. Et nimis esse indignum, nimis item impium, flagitiis præsidia quærere, ipse Justinianus indicat *l. 7. in fin. C. de natural. lib.*

XVII. Ideò generalis abolitio, quam tempore solennis lætitiæ pronunciat Princeps, ad hæc porrigi nequit, *l. 3. C. de Episc. audientia.*

siquidem illa non extinguit crimen, sed tantum instantiam iudicii, & transactâ festiuitate intra 30. dies accusationem renovari nihil vetat, *l. 12. ff. ad SC. Turpil.* qua cum non coincidit morum nostrorum observantia.

XVIII. Quinimo in jure restitutionis vitæ divina quasi enitescit majestas, quæ siue alio, siue festivo die sordes luctumque omnem removente præsentis æquè ac futuræ condemnationis metum aufert. Unde nihil regium magis, referente Politico Andegavensi, Gallorum arbitrantur Reges, quàm damnatos supplicio eripere, quod ne quidem Reginæ matri sine majestatis detrimento concedi posse curia Lutetiana judicavit: quòd item Carolus V. Senatui Mediolanensi superioritatis insignia amplissimè elargitus, sibi proprium dixit.

XIX. Atque hoc quondam soli primùm Augusto datum, ut, qui  
sup-

supplices intra pomœria urbis incedenti fierent, impunitatem consequerentur. Tantâ verò ille prudentiâ personam illustrem egit, ut maluerit, noctu civitatem ingredi, quàm diurnis supplicationibus veniam suo incessu aperire, cuius fidem faciunt Romanæ periodi scriptores.

XX. Quòd autem triumphales ingressus & gratulationis festa criminum condonationi inserviunt, *l. 8. ff. ad SC. Turpill. d. l. 3. C. de Episc. audient.* non excludit casum fortuitum, quo Principem habuerit obvium reus loco supplicii propinquus. Reverentiam videlicet & dignitatem personæ Principalis, cui uni ingens beneficium hoc acceptum ducitur, perpetuò attendi fas est.

XXI. Rarissimè ergo aliis extra hoc fastigium collocatis prærogativa similis contingit, quam tamen Pontificiorum plures susti-

nent etiam hodie Cardinalibus competere, fortè ad exemplum Virginum Vestalium, quæ, autore Plutarcho in Numa Pompilio, capite plectendos improvise occursu liberarunt. Sed nec ipse Papa, qui conquisito ex multiplici Principum tolerantia præscriptionis auxilio se munit, promeritam mortis sententiam justè interpellat.

**XXII.** Cæterum fateor indulgentiam specialem, quæ Rescripto solet stabiliri, suo non destitui posse effectu; præsertim quando extraordinariæ & absolutæ potestatis exercitium urget Princeps de quo supra *aphor. 13*. Illud tamen minùs tutò asseruerim, si impunita sceleris immanitas certissimam Reipubl. ruinam involvat, pari gradu regnantis libidinem succedere; met<sup>9</sup> enim fatalis mali superest, qui in summis istis capitibus potentiaè abusum aliquando temperat.

**XXIII.**

XXIII. Nimirum præceps salutis suæ custos & vindex populus cultum facile & obedientiam exuit, quæ fortiora Majestatis præsidia sunt quibûsq; sublatis, solii everfio, & vitæ ipsius jactura in vicino est, quod historiæ veritas non uno prodidit exemplo.

XXIV. Quapropter neque sibi, neque subditis consulunt qui nescire juris sui limites malunt; cautiùs mercantur, qui cùm in cæteris, tum maximè in hoc Rescripti genere ejusmodi fervant moderationem, ut singula cum dignitate, cum Reipubl. salute, cum justa severitatis & clementiæ laude peragantur. *text. in c. 9. disciplinae & c. 10. omnis. dist. 45.* Sic variis præjudiciis viam obstruent, & injuriam illi nusquam luent, qui legitimè suum interesse persequuntur, ac damnnum ex delicto illatum refarciri postulant.

XXV. Etenim diminuto vel

remisso fisci sui jure non tam malè audit Princeps; secus, si jus partis culpâ ipsi<sup>9</sup> laboret, quamvis interdum excuset evidens boni communis necessitas, ut sub conditione refundendi precii, *l. 13. §. 1. ff. communia prœdior. vel invitis sine peccato quid adimat.*

XXVI. Sequitur laudari Rescriptum non posse, nisi insimul ei consentiant tam causa publicæ utilitatis, quàm voluntas partis offensæ, *l. fin. vers. nisi fortè ille qui passus, &c. C. de abolition.* cujus justa petitio interventu solennis Gratiæ non corruet, facta licet compositio fuerit cum fisco, *gloss. fin. & DD. ad l. 2. C. de in jus vocando.*

XXVII. Sed alia est Rescripti natura, quæ plenissimè beneficium explicat, adeò ut nec restitutionem bonorum, quam delicti abstulit occasio, excludat; alia quæ solam pœnæ remissionem producit. *Vid. l. 4. 2. & 4. C. de sentent. pass.*

XXVIII.



**XXVIII.** Priori casu non peccabit reus, si & in illis repetendis sollicitus fuerit, quæ fiscus possidet, vel quæ jam tertii alicujus dominio cesserunt: imò & à famæ non minùs, quàm vitæ discrimine liberabitur; quoniam ab expressa Rescripti summa mordicus stabitur.

**XXIX.** Sed mortis tantummodo decretum supplicans declinat, ubi aliud diploma non sonat, aut dubia Rescribentis sententia judicem suspendit, etsi alioquin hæc latissimam interpretationem admittat, *l. 3. ff. de constit. Princip.*

**XXX.** Singulare est, quando Principis animum iniquitas condemnationis & personæ innocentia commovet, quòd contra fiscum vel alios possessores, etiamsi Principales literæ nihil horum expriment, indistinctè quis experiatur. Et imò sic dixeris justitiæ potiùs quàm gratiæ fundamento Rescriptum niti, ut non immeritò plenissimæ

sime restitutioni confestim loc<sup>9</sup> fit.

**XXXI.** Porrò cùm inter bona alienata & confiscata distinctio probetur, & Rescripti indoles non ferat extensionem tertio alicui noxiam, *argum. l. 2. §. 16. ff. ne quid in loco publ. l. 4. C. de emancip. liber.* etsi fisco injungatur restitutio, non tamen ea, quæ hinc ad alios devoluta fuerint, periculum repetitionis subibunt; nisi fortè dubitares, postquam alienata rursus ad fisci manus pervenerunt.

**XXXII.** Videtur quidem nihil subnasci posse præjudicii, quoties privilegium restitutionis etiam in ulterius alienatis efficax est, quia remedio evictionis & regressu ad precium consulitur emptori, cui res vendidit Princeps vel fiscus, *l. 1. & 2. C. de quadr. præscript.* Verùm hoc ipsum tituli lucrativi & communis commodi ratio non patitur, ut testantur passim DD. Adde quòd satis interesse censeatur pos-

possessoris, rem nanscisci, non rei  
 æstimationem, *arg. l. 35. ff. de minor.*  
*l. 36. ff. de bon. libert. collata l. fin. ff. de*  
*stipul. prætor.*

**XXXIII.** Consideratu dignum est, quid obtineat perfecta alienatione, cui non factum vel contractus fisci, sed legis dispositio causam dedit, puta bonorum feudi, majoratus, fideicommissi, emphyteuseos & similia? Et opinor tertium i.e. proximiorum, qui his potitur, securum esse.

**XXXIV.** Tanti refert muniri Rescripto, cujus eadem facies est, quodq; plenarie restitutionis mandatum exhibet; nec effectu dissimilis ab eodem creditur pronuntiatio Principis confiscationem ceu non factam & irritam penitus improbantis.

**XXXV.** Ex quibus omnibus manifestum fit, solenni hoc placito nullatenus impediri jus tertii possessoris, nisi vel expressa voluntas  
 Supe-

Superioris diversum imperet, vel momentum publicæ felicitatis, quæ privatorum commodis anteponitur, *l. 4. C. de primipil. l. un. §. 14. in fin. C. de caduc. toll. beneficii plenariam collationem suadeat.* Nam communis fortunæ respectus semper hîc militabit, tametsi specialis ejusdem mentio non requiratur, nisi ubi de bonis ad alium translatis definitio nulla facta est. In dubio quippe Rescribentis Gratiâ dignissimâ foveri causâ præsumitur.

**XXXVI.** Interim quod de rebus ad alios devolutis constat, non æquè de fructibus perceptis liquidum esse, *præter textum authent. idem est de Nestorian. C. de hæret. & Manichæis,* plures videntur rationes vel le, quibus tamen, nisi cum grano salis, quod ajunt, intellectis assentiri vereor.

**XXXVII.** Accuratè igitur ponderandus semper codicillorum

rum

rum venialium tenore est, sicut & supplicis libelli conceptus advocati solertis operam poscit, ne immaturè exultet reus, vel Gratiaè infeliciter collocataè Principem mox pœniteat.

*XXXVIII.* Et profectò non parùm obest precibus suis etiam primo successu felicissimis, qui calidè dissimulat, & æqualis vel gravioris, quod libello non explicuit, delicti suspicionem ex post facto incurrit. Impudenter enim hic imponit Principi, qui difficillimè cumulati sceleris veniam largitur. Et omninò severiùs animadverti in eos, qui iteratò peccant, Imperatores decreverunt, *l. 8. §. 1. C. ad. L. Iul. de vi pub. concord. l. 28. §. 10. ff. de pœnis.*

*XXXIX.* Hic non incommode notabitur plurimùm differre, utrum suspicio, quæ vim Rescripti fidemq; impugnat, ex veri reticentia, an ex falsi suggestionem descendat; quoniam illa ex solo capite,  
in

in quo peccatum est, damnum parit, cæteris ponderi suo relictis; hæc verò totam spei fabricam reo destruit. *Confer. c. Sedes Apostolica. x. de rescript.* Et dubio procul committendo, quàm omittendo periculosiùs delinquitur. *Vid. l. 9. §. 2. ff. de minor. junct. l. ult. C. si adv. delict.*

XL. Potest autem, nisi in propatulo steterit dolus, quod in facti specie præteritum fuerit, corrigi vel condonatione speciali, vel repetita imploratione secúdi Rescripti.

XLI. Quòd judicis curam concernat, ne solennia, (quæ ex edicto Carolino ad unguem curia Frisiorum observat) circa impetrationem & intimationem Rescripti deficient, *aphor. II. monui*; attamen & hisce neglectis in Gratia concessione Principem festinare posse, nemo est, qui inficias ibit.

XLII. Imò verò solis ille verbis interdum, non obstante sententia condemnatoria, autoritatis suæ virtutem

tutem exerit, cuius exemplum sup-  
peditat *l. 1. C. de sent. pass. & rest.* &  
dignum memoratu reliquit Pane-  
gyrista de Archippo Philosopho,  
qui ob crimen falsi à Proconsule in  
metallum damnatus, & diploma-  
te non restitutus, integram debuit  
liberationem soli epistolæ Domi-  
tiani Imperatoris ad L. Appium  
Maximum datæ, quâ Achippum &  
virum bonum & professione ma-  
joribus respondentem Maximo  
commendaverat.

XLIII. Hinc inutiliter contro-  
vertimus, an Rescriptum quoque  
profit ad officii recuperationem,  
quam certè, si restrictior Principis  
voluntas aliud non doceat, nihil  
unquam impediet, etiamsi macula  
gravatæ existimationis superstes in  
persona supplicantis elui nequeat.

XLIV. Scilicet à Principali ma-  
jestate alienum non est, Gratiam,  
cujus Rescriptum promulgat, pro-  
libitu interpretari. *arg. l. fin. C. de leg.*

*l. 43.*

*l. 43. in princ. ff. de vulg & pupill. subst.*  
*& l. 191. ff. de R. I. cum & revocan-*  
 di prorsus, quod indulfit, jus habe-  
 at; quanquam, ne elusoria sit tanta  
 liberalitas, sine prævia considera-  
 tione fieri hoc non soleat à Princi-  
 pe nominis sui sollicito.

**XLV.** Quemadmodum nec fre-  
 quens eidem est in sublimi hoc be-  
 nefaciendi negotio terminum fige-  
 re, h. e. cavere, ne delicti memoria  
 ultra vitã suam quiescat; effectum  
 quippe non lucratur Gratia incer-  
 to mortis die, *l. 1. §. 2. ff. de cond. &*  
*demonstr. terminata*, quæ hinc salu-  
 tem delinquentis promittit, inde  
 sinistram fortunæ exitum minatur.

**XLVI.** Iccirco hoc regulariter  
 omne præstat Rescriptum (ne dicam  
 de absolutè dominantis violentia)  
 ut ex condigna causa natum & de-  
 centi forma productum liberationi  
 reorum inserviat, sive vitæ solùm,  
 sive bonorum simul & famæ ratio-  
 nem spectet; insupérq; reipubl. in-  
 cre-



crementum nullatenus moratur.

XLVII. Est enim ætatis lubricum, quo minor sæpe & senex labitur: est insignis rei militaris disciplina & cognitio, aut summa artis alicujus peritia: est personæ nobilitas, & vitæ antecedentis integritas, quorum omnium intuitu Principis indulgentiam in laude ponimus.

*Congruunt c. hoc sit in judicio 26. q. 7. c. sicut dignum. x. de homicid. l. 13. ff. de pœnis, l. 5. in princ. ff. de re militari, & ibi interpretes.*

XLIX. Quid? quòd à ratione deviasse Rescribentis placitum dici nequeat, si solo populi validè sollicitantis respectu interdum reo condonet, ut pacis publ. securitatem uni<sup>9</sup> supplicii veniâ redimat. Ignoscimus enim exemplo, cùm, quod ex iniquo habet, utilitate publica adversus singulos rependit. Affine huic est, quod pereleganter cecinit poëta:

*Medio de fonte Leporum  
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat.*

XLIX.

XLIX. Verùm pessimo digni-  
tatis abusu delinquentes tolerant,  
& in suam aliorúmque perniciem  
clementiæ partes distribuunt, qui  
(veluti in Poneropoli Macedonica  
Philippus) damnatorum manipu-  
los bipatentibus portis invitant:  
qui conniventiam precio nundi-  
nantur, & maleferiatorum re-  
quiem sub annuo censu tuentur.

L. Illi sedem Majestatis legiti-  
mè possident, & Rescriptis Gratiaë  
non sine gloria proficiunt, qui re-  
jecto à luce reipub. Romuli luco,  
non speciosa dictu, sed usu necessa-  
ria sequuntur, & sic juxta moni-  
tum Imperatoris in *Nov. 30. c. 7. §. 1.*  
existimationis, legum, & ante o-  
mia DEI memores, nec facilitate  
autoritatem, nec severitate a-  
morem diminuunt.



*Ne ali-*



*Ne aliqua lacunas ostendat inexpletas pagina, se-  
quentes ejusdem Autoris versiculi  
libellum hunc claudent.*

S C A Z O N A D

## ADOLPHUM VORSTIUM

Professorem Medicum, cum pridie PETRO CU-  
NÆO Jcto. Lugduni Batavorum pu-  
blicè parentasset.

*S*ic est, disertè quod, VIR EMINENS, dixti,  
(UNÆUS (heu!) praecidit Decus Suada,  
Decusq; Themidos: Nomen hoc Athenæo  
Invidit Atropos, quod aestimat Belga,  
Latè quod Orbis suspicit: febris, sic est,  
Voravit anceps, qui fide tuos pridem  
Lares colebat intima, meas ductu  
Musas beabat qui suo, (ò dolor!) vixit.  
Non culta virtus multiplex diem morti  
Denunciare sufficit, Viros busto  
Non liberat blandum perosa mens fucum.  
Docemur exemplo. Quid? Annuat Numen  
Nos vescier munusculo brevis terra,  
Dum terminat, fortuna quas vices volvit:  
Et seva mox spes anteit pias Clotho,  
Cui Phœbus aut Pæon veretur obniti,  
Nec qui, Machaon, arte claret: emigrat  
Mortalis hospes corporis Dei jussu,  
Quem non morantur dignitas, vigor, robur,  
Ætas sed hæc periclitatur audacis  
Fœcunda culpa: scilicet graves horret,  
Quos haut notat vel ipsa præcavet casus.  
Næ triste funus! Publicum VIR in damnum  
Denatus est, ne lugeatur invisus,  
Decreta neu Cœli timenda frustrentur.

In tu-

In tumultum

PETRI CUNÆI. JC<sup>ti</sup>.

**C**VJUS AD AFFATUM TOTIES EFFUSA JUVENTUS  
INCAUTO DIDICIT NOLLE PERIRE GRADU:  
CUJUS, UT EXEMPLO SAPERENT, CONVENTIBUS IPSI  
PULTARUNT DOCTIS LIMINA TRITA SENES,  
HIC TEGIT ILLUSTREM TUMULUS VIRTUTE CUNÆUM,  
NE, SIBI QUEM COELUM VINDICAT, ORBIS AMET.

*IN GENEVENSIUM*

*Insignia & Symbolum.*

GENEVA CIVITAS

Per Anagramma

EN VICI; STA: AUGE.


**Q**UOD *clavis* retinens *aquilæ* <sup>3</sup>/<sub>2</sub> insigne, Geneva,  
Romani pateris vincula nulla ducis:  
Sed *pulsis, lucem, tenebris, venerata, potentes*  
Hostis amas vigili ludere fronte minas,  
Hinc tua majorum subsistere gloria lauro  
Pergit vicinis invidiosa locis,  
Dic age, ne patriæ steriliscat pristina famæ  
Virtus, EN VICI; collige, civis, honor  
Queis vigeat noster, dotes: STA fortiter: AUGE  
Libertatis opes lege fideque tuas.  
Sufficit in populi decus ad meliora renati,  
Velle gerenda cani, malle canenda geri.


---

NB. Pag. 100. lin. 2. lege profunt pro præfunt.  
pag. 106. l. 14. lege simulant pro dissimulant.

F I N I S.







52  $\frac{4}{h, 15}$


TA-OC

**ULB Halle**


3

006 807 81X









HENRICI ALERS  
ORATIONES  
DVÆ:

UNA de  
VIRO NOBILLI,  
ALTERA de  
NOTIS INCORRUPTÆ  
REIPUBLICÆ

*Habita in Academia Ultrajectinâ.*

Editio secunda,

CUI ACCESSIT  
ORATIO


Ad enodandam quaestionem,

An Ratio Status non ferat Magi-  
stratum præfractò rectum?

*Dicta Basilea.*

Subjuncti quoque sunt ejusdem

DE  
RESCRIPTO GRATIÆ  
APHORISMI.



BREMÆ,

Impensis JUSTI } KÖHLERI,  
Typis JACOBI }

ANNO MDCXLVII.